

12

Obs^o

Observatorio de Marina
BIBLIOTECA

08730


Núm. Núm.


Secció:

Carpeta Núm.

Estante Tabla

Tomo





27/11/195

Doletto, Stefano
De re navali libris

Marina Historia

STEPHANI

DOLETI DE RENNA

VALI LIBER AD LA

ZARVM BAY:

FIVM.



VIRTUTE DVCE,



COMITE FORTVNA.


LVGDVNI APVD SEB.

GRYPHIVM,

1537.

2 THE PHARMACY

DOLE THE PHARMACY
VALLEJO STREET
SARAVALI STREET
FIVEMILE STREET



COMMISSION FOR THE

POSTAGE

JAGDAMI WARD. SEE
GRYBHI V. M.
1835

STEPHANVS DO

LETVS LAZARO


BAYFIO. SAL.



OLET mihi, & uehementer quidem dolet, te, cuius & studiosissimus, & obseruantissimus hactenus semper fui, sic in me nulla causa de repente commotum, ut, qui contra existimationem meã ueniret, parare (dicam uel hor

tari, uel impellere) inimicè uolueris. Dolet itidem uehementer mihi, eum te emissarium in me delegisse (tu uerò tuo me nomine aperte oppugnasses) de quo & optimè sentiebam, & honorificè ubique prædicabam. Sed tamen credere quicquam de te temere certè nolim: ac mihi potius uelim persuasum, suapte illum sponte in me inuehendi causam, occasionemq; quæsisse: nec te uel hortatore, uel impulsore ad tam aspera maledicta usum. Maior mea est de tua tum prudentia, tum grauitate, tum moderatione, æquitatèq; opinio, quàm ut in aliquam mali animi, malæ uel mentis suspensionem mihi uenias.

A 2 Itaq;



I N C R I M I N A T O R E M

Itaque te omni prorsus uel odij, uel maleuolentiæ in me suspitione libero, & factæ mihi iniuriæ iudicem (quod tamen tui sit arbitratus) sumo, atque constituo. Iudex igitur mihi sedeas : ad rei narrationem aggredior, ut re audita liquidius, certius'que sententiam secundum me feras : uel ab aduersario nostro stes. Audin' tu? Ita res, ut à me sine artis oratoriæ, aut exquisitioris uerborum splendoris ostentatione mox dicetur, planè habet. Anno à Virgine grauidâ, uel (ne qua calumniæ ansa calumniatori detur) à Christo in crucem sublato M. D. X X X V I. ad Calen. Nouembres, cùm Lugduni commorarer, & secundi meorum Lingue Latine Commentariorum Tomi editioni totus operã darem, allatus est ad me à Christophoro Richerio uiro eruditissimo, & humanitatis, officijq; plenissimo tuus de re Nauali Liber. Tum fortè noster de rei Naualis dictionibus locus excudebatur. Id quod me acrius mouit, ut librum tuum & diligentius, & attentius perlegerem. Perlegi : neque quicquam perlegenti occurrit (uerbo utar attentionis significatioris) nihil quicquam perlegens annotaui, in quo & tu, & ego idem aut tractarem, aut explicarem, præter nauium genera, & appellationes. Erga Richerium ut me gratum præberem (ingrato enim animo nihil peius odi) tertium, & quartum ex ternione quodam folium mus tui officij causa ei perlibenter quidem dedi : quæ ad te primo quòque nuntio semissurum non rogatus affirmavit.

affirmauit. Nil causæ, cur id non faceret, dixi. Reddita sunt tibi ea, scio, non ita admodum post folia. Hic, hic locus est, in quo te fingere possim, primùm stomachantem, quòd eadem tecum de re Nauali & ausus sim, & susceperim. Deinde emissarium, qui indignè me charta dentata lacessiuit, à te accersi iussum (quemadmodum ad nutus tuos fortè factus est) ac mandatis oneratum, ut **D O L E T V M**, iuuenem audaciæ nimix (spei, & expectationis maximæ dicere apud te iudicem non audeo, quem mihi & æquum, & beneuolum cupio) quibus possit, maculis deformet, eiusq; nascentem existimationem imminuat. Hic, hic, inquam, locus est, ubi ea de te probabiliter narrare haud dubiè possem: sed uetor præiudicata illa, quam antea de tua integritate, & moderatione habere me dixi, opinione. Quamobrem, quod suspicor, quod'que pro certo habere placet, tantùm enunciabo. Ille te nō tam potens, quàm impudens emissarius die quodam inuisit: in bibliotheca tua assidens, tecumq; confabulans (hominem tam nihili honore nimio dignor, quem tecum confabulantem facio) folia nostra suffuratur, aufert, iam tum de nobis malè, inuidiosè'que cogitat. Quid postea? Tuum de re Nauali librum in Epitomen tuo uel iussu, uel assensu contrahit: maleuolentia in me ardens (quid aliter nefarios nebulonis conatus interpreter, nulla iniuria irritati?) ea in folijs nostris notat, quæ maledicendi locum illi relinquere uisa sunt. Anis

I N C R I M I N A T O R E M

mum huc aduerte, mi Bayfi. Fac, si uoles, rectè ab
 eo animaduersa, quæ in me tam iracundè profert.
 Hoccine tamen humanum factum, aut honestum?
 hoccine uiro bono, & literato dignum, quæ ab offi-
 cioso officiosè ad te missa erant, nondum edito meo
 in lucem opere (in cuius editionem adhuc incumbo)
 tam insolenter, tam'que inconsultè repræhendere?
 Hic'ne magis insecter emissarij tui (depositæ de te sus-
 spitionis oblitus eram: compendiarium dicere uo-
 lebam) scelus, quàm stultitiam rideam? Sed scelera-
 ti scelus insectari non libet. Stultum uerò, & impru-
 dentem non existimem, qui inconsiderata, & temera-
 ria mente præceps, id nō uidit, posse me, cūm meum
 mihi opus adhuc in manibus sit, nequedum exiit,
 quæ repræhendit, mutare, & ex eius animaduersio-
 ne castigare? Sic mendacis, & falsi animaduersoris
 famam subiret: mihi sua præpropere petitione nul-
 lum uulnus inferret. At, quæ in nos tela iacit, uirili-
 ter repellere certum est: non istiusmodi declinatione
 ictus hostis muliebriter eludere. Ecquid autem mihi
 maximè crimini dat? ecquid uitio uertit? Ea illius
 uerbis expressa iam audito. Nostram deinde defen-
 sionem perpendito. Ad extremum, ex æquo, & bo-
 no arbitrator.

C R I M I N A T I O.

NON possum hoc loco satis admirari eius in-
 genium, qui, cūm dissimulare conatur, se à Bayfio
nihil

D E F E N S I O.

nihil ex re Nauali desumpsisse, omnia tamen desumit: ac dum in suis Commentarijs linguæ Latinæ, bonis Lectoribus aut fucum facere, aut tenebras offundere conatur, ne suum furtum omnibus palàm fiat, in id erroris incidit, ut uocabula quædam immutet, ac peruertat: neq; uocabula ipsa solùm, sed etiam autorum nomina, ac sententias ementiatur: cuius criminis operæprecium duximus iuuenculos nostros admonere, ne minus cauti in id temere incidere possint. Si quãdo igitur in Commentarijs Linguæ Latinæ legerint naues embatas pro uectorijs, quas ille scanfiles appellat, corruptum id sciant pro epibatis, nisi cum deprauata Iureconsulti lectione emphatas dicere uoluit. Prætereà, quæ uerba attribuit Plinio libro decimo nono, ea ipsa sunt, quæ prius adduximus ex Bayfio, desumpta ab Ulpiano, Titulo de exercitatoria actione: Quædam enim naues onerariæ: quædam (ut ipsi dicunt) epibades sunt, &c. Atqui Plinius libro decimo nono hortorum curam, & ornatum recenset, & à nauium tractatione longissimè abest. Vide, quæso, Lector, quàm hoc sit diligenter Latinam dignitatem tractare.

D E F E N S I O,

H O C unum ipsum est, quod mihi stomachum fecit. Hoc unum est, quod me ad librum de re Nauali separatim emittendum impulit. Scilicet: ego
ex te

I N C R I M I N A T O R E M

ex te omnia desumpsi, quæ de re Nauali scribo: Breuis est, qua ad huius criminis dissolutionem uti uolo, defensio. Tuum de re Nauali librum cum nostro conferat diligenter Lector. Quid uerbis opus est: Facile continuo uel furtum nostrum depræhendet: uel falsam, & sceleratam emissarij tui (deposite de te suspicionis iterum oblitus sum: compendiaris mihi in labris erat) criminationem cognoscat. Quid tu de re Nauali scribis? Quid explicas? Tantum nauium genera. Intelligo pueris gratas, & admirabiles: paulo doctioribus non necessarias repræsentatas à te (confictas dicere nolui) nescio quas biremium, triremium, nauium tectarum, siue cōstratarum, nauium fluuiatilium, scapharum antiquarum ad uinum circunferendum, scapharum fluuiatilium ad merces conuehendas, pontium nauibus fluuiatilibus constratorum formas: ostentationis nomine, præterq̃ rem ambitiosius uersos quamplurimos ex Græcis scriptoribus locos: qui si detrahantur, pauca de re Nauali scripseris. Quid ego? Sanè (ut meus ordo & in dictionibus rei Militaris, & in rei Rusticæ uocibus est) re Nauali tractanda, quædam uelut fundamenta iacio: à minimis incipio, & sensim ad grauiora prouehor. In quibus quâ fieri potest, ut, cum nauium appellationes, & parteis confector, multa tecum iisdem penè uerbis, uel iisdem prorsus uerbis non enucleem: Atque qui Commentarios, & Dictionaria scribunt, uel aliquid interpretantur, sic factos

factos esse non ignoras, ut nihil ferè ex se promant: omnia ab alijs mutuari necesse habeant. Quòd si id furtum à te, ut à tuo Compendiario, appelletur, furti in tuis omnibus libris accusaberis: furti accusabitur Gallix nostræ lumen Guliel. Budæus: furti accusabitur Germaniæ sempiternum decus Erasmus Roterodamus: furti accusabitur Angelus Politianus: furti accusabitur Cælius Rhodiginus: furti accusabitur Volaterranus: furti accusabitur Sypontinus: denique furti accusabuntur omnes, quotquot Commentarios confecerunt, uel interpretationes reliquerunt. In istiusmodi lucubrationibus ordinem nouum inducere, multa uel ingeniosius, uel fusius, uel enucleatius interpretari, & tractare certè licet: ab ijs omnino abstinere, quæ ab alijs uel æqualibus, uel antiquis scriptoribus tractata sunt, nemini cuiquam integrum est. Et me omnia à te desumere clamat tuus Emissarius (uah: pro Cōpendiario Emissarius mihi necopinanti excidit) si rem Naualem, ut tu, tractans, quædam, ut tu, declarem? Vociferarer hîc: ò ridiculum caput, ò belua, ò bestia, ò pecus. Sed ea orationis fulmina, ea orationis tonitrua non fert epistolæ humilitas. Ad reliqua, quæ mihi obiicit, gradum facio. Quid? fucum, inquit ille, Lectoribus facere: tenebras offundere Lectoribus conor: uocabula quædam peruerto: autorum nomina, ac sententias eментior. Respondeat hîc inuidia disruptus nebulo, Fucum Lectoribus, & iuuenculis, in quos tan-

I N C R I M I N A T O R E M

to se amore flagrare iactat, facere est, omni ambitione, cupiditateque, & honorum (ad quos uel amplissimos iampridem euocari potuimus) contentione abiecta, ualetudinis ratione posthabita, dies, noctesque literis inuolui, ut mihi rudem iuuentutem munere aliquo deuinciā, & meis laboribus ad eloquentiæ studium incitem, iuuemque, qua possim, facultate. Tenebras lectoribus offundere est, singulari & orationis, & interpretationis facilitate (quam mihi laudem uel in oratione, uel in carmine scribendo omnes uno ore tribuunt) dictiones elucidare: rem ipsam ob oculos ponere: Vocabula peruertere, autorum nomina, ac sententias ementiri est, uirorum doctorum opinionem, autoritatemque suscipere: At quorum opinionem, autoritatemque suscepimus: Quod ad embatas naues attinet, quas pro uectorijs accipi tradidimus, Budæi opinionem secuti sumus. Quæ Plin^o odio falso, ut iste ait, attribuimus, sciat uel à se, uel ab alio in Thesauro Linguae Latinæ antea Plinio attributum. Iam exclamet nebulo. Vide, Lector, quàm hoc sit diligenter Latinam dignitatē tractare. Quasi uerò grammaticis institutionibus (grammaticas institutiones uoco, dictionum interpretationes) constet Linguae Latinæ, uel alius cuiuslibet dignitas. Constat non grammaticis institutionibus, sed ornate, uarie, copiose, apte, numerosè, exactè scripta aut oratione, aut epistola, aut carmine. Ad quæ quoniā tuus sciolus ardelio non adspirauit, Latinam dignitatem

D E F E N S I O.

tatem in grammaticis tricus positam arbitratur. At in hominem tam nullius existimationis inuehi me pudet. Reliquas diluam criminationes.

C R I M I N A T I O.

A N I M A D V E R T A N T diligenter nostri adolescentuli, ne in id uitium cum quodam incidant, ut falso existimēt, remulcum esse paruum scapham, qua grandiores naues pertrahantur. Et si quando in Commentarijs Linguæ Latinæ depræhenderint remulcum pro nauis descriptum, sciant eum, qui rem Naualem ex Bayfio traduxit, minus intellexisse Græcas * autoritates, quæ tum ex Polybio, tum etiam ex * Diodoro Siculo in contrariū sensum adductæ sunt: nempe quæ probent remulco trahere naues, esse, magnis nisibus conari, ut uel depressa, uel submersa, uel clauda, uel mutila nauis in tutum reducatur.

D E F E N S I O.

T V I N tuo de re Nauali libro, remulco trahere, bene Latinum esse, & à Liuiio, & Cæsare usurpatum annotasti: sed tamen, quid sit remulcus, silentio præteris. Tuo isti Compendiario, remulco trahere, significare uidetur, magnis nisibus conari, ut nauis in tutum reducatur. Id'ne remulci significationem tradere est? Nos eam tradidimus, ut remulcum parua nauem, siue scapham esse uelimus, qua grandior nauis trahitur. Eam significationem ex Festi uerbis primùm collegi; tum meam sententiã confir-

I N C R I M I N A T O R E M
mauit sequens Plauti exemplum.

I N B A C C H I D. A C T V S E
cundo : ubi Nicobolus senex, &
Chrisalus seruus collo-
quuntur.

I N T E R E A' è portu nostra nauis soluitur.
Vbi portu eximus, homines remulco sequi:
Necq; aues, neq; uenti citius.
Hæc Plauti uerba nostram'ne remulci interpretatio-
nem improbant? pro scapha poni non demon-
strant? Nunciactitet tuus blatero, remulco trahere,
esse, magnis nisibus conari. Qua interpretatione
quid, quæso, ieiunius? quid magis ridiculum?
Dicat blatero. Si in alto accidat, ut nauis uel clau-
da, uel mutila sit, quomodo magnis illis nisibus tra-
hetur? ubi innitentur, qui trahēt? ubi remis incum-
bent? ubi pedem firmabunt? In aqua, nō in scapha?
Stoliditatem tui blateronis non perspicias? Plauti
locum perpende.
Vbi(inquit)portu eximus, homines remulco sequi:
Necq; aues, neq; uenti citius.
Id est, neq; aues citius uolant, neq; uenti rapidius
flant, quàm nos sequebantur remulco homines. Re-
mulcum scapham esse nunc dubitas? Dubitare non
arbitror. Quare in re tam certa longiorem ora-
tionem non affectabo. Addam hoc tantum, à tuo
blatero

*Plauti locus ex-
positus.*

D E F E N S I O.

blaterone Robertum Sthephanum debuisse antea repræhendi, qui antea in suo Dictionario remulcum pro parua naue, uel scapha posuerat. Addam ^{Criminatoris la-} hoc etiam obiter, in blateronis tui criminatione non ^{lapsus} ferendam uideri mihi barbariem, cum autoritates pro exemplis, uel locis appellat. Sed quis miretur barbarum barbarè loqui?

C R I M I N A T I O.

M I R O R, quòd uir quidam doctus in suis Lingue Latine Commētarijs locum Hirtij Julio Cæsari adscripsit, quarto belli ciuilibis: cum alioqui certissimum sit, apud Cæsarem nusquam reperiri posse. Neq; uerò quisquã existimet uelim, tale quidpiam Latinae Linguae inter cæteros optimum autorẽ confinxisse. Fortassis nõ optimè transcripserat ex Bayfio locum Hirtij: qui certè sic habet ad uerbum, in Bello Alexandrino, quemadmodum ille uir bonus Cæsari ascribebat: Capit (inquit Hirtius) ex eo prelio pentiremem unam, triremes duas, dicrota octo, compluresq; remiges Octauianos. Discant huius exemplo, quicunq; alienas uigilias sibi attribuere uolent, saltem tam accuratè suffurari, ut furtum * suum adeò manifestè depræhendi non possit.

D E F E N S I O.

Q V A M mihi mirum multò magis accidat, uix credas, nebulonem tuum tanta stoliditate, & inge-

I N C R I M I N A T O R E M

nij stupiditate esse, ut me ignorantia, nō de industria locos Hirtij pro Cæsarianis citasse putet. Non ego uniuersos Cæsaris Commentarios legi: Non, quæ Hirtio, uel Oppio ascribuntur, noui: Ita citare placitum est. Grauiissimum, tui nebulonis sententia, flagitium. Perinde ac si Commentarij Cæsaris non dicerentur, sed Hirtij, aut Oppij. Verum in tam frigida criminatione uehementius incallescere, aut acerbius indignari, uiro graui non dignum est. Quid prætereà mihi obijcit blatero: Alienas uigilias, hoc est, tuas mihi me attribuisse: non satis occultè suffuratum fuisse. Nihil à te nos suffuratos, nihil à te nos traduxisse, antea probauimus. Nulla hîc furti negatione opus est. Sed quid nebuloni argumentum dedit, furtum hîc à me factum exclamandi: Nimirum quòd idem, quod tu, Cæsaris exemplum citauit. Num iusta, ac legitima furti facti repræhensio est: Itaq; Ciceronis exempla, quæ in meis Linguae Latinae Commentarijs protulero, proferre post me caute posteri. Obtrectatoris mei exemplo, furti uos accusabo: plagij uobis dicam impingi curabo. Non communia sunt, obtrectatoris mei iudicio, autorum exempla. In ijs, mei obtrectatoris arbitratu, sacra esse debet prioris usurpantis autoritas. Quæ semel ab aliquo citata sunt (pingui nunc Minerua loquor) ab alio posteà citari, obtrectatoris mei opinione, furtum est. Quid hîc impedit, quin illud Horatij huic loco immisceam: Spectatum admissi, risum teneatis amici

D E F E N S I O.

amici. Rifu enim dignus est tuus nebulo, non stoma-
cho, aut indignatione. Rifu iterū dignus est, & barba-
rici nota, qui tam barbarè ad extremū superioris cri-
minationis loquitur. Discant (inquit) huius exem-
plo, quicunq; alienas uigilias sibi attribuere uolent, ^{Criminatoris}
saltem tam occultè suffurari, ut furtum suum adeo ^{lapsus. *}
manifestè depræhendi non possit. Non barbarè re-
ciproco utitur? Eorum, dicendum erat. Tam foedè
in reciproci usu lapsus est ad extremum etiam episto-
læ, quam tuo in Epitomen contracto de re Vascula-
ria libro premisit: ubi sic scribit: Prætereà scimus
non modicam iacturam docti alicuius nomen face-
re, si quando scriptum suum temerè à quoquam in-
uertatur, atque immutetur. Non barbarè hic item
reciproco utitur? Eius, dicendum erat.

C R I M I N A T I O.

A T Q V I ut ad Lenunculum redeam: mirum
hoc mihi maximè uidetur in uiro docto!, cui cum
nulla autoritas antiquorum suffragetur, ausus est ta-
men in suis Commentarijs Linguae Latinae remecus-
lum proferre, tanquam nauigij genus, quo Lemnij
uti solebant. Certè id nemo crediderit à Bayfio des-
umptum esse, sed fortassis temere prolatum, ut per
multa alia.

D E F E N S I O.

N I H I L adhuc temere à me prolatum probauit
obtre

I N C R I M I N A T O R E M

obtreſator. Quare proxima uox maledicti ſit, & procacitatis, non ueritatis. De Remeculo mecum facit Auli Gellij autoritas libro nono, capite X X V. Neque eſt, quòd locum Gellij corruptum calumnieſtur. Ad hæc, ſi in hoc me notet, & Syponinum, & Robertum Stephanum notet neceſſe eſt: qui idem in ſuis Dictionarijs ante me tradiderunt.

C R I M I N A T I O.

QVOD autem quidam in ſuis Commentarijs Vergilij locum adducit in proræ exemplum: Quot prius æratae ſteterant in littore proræ. Certè corruptum eſt: ſcriptum enim reperies puppes etiam pro nauibus, ut pars pro toto ſumatur.

D E F E N S I O.

QVOD ex Vergilio citauimus in exemplis proræ, certè non corruptum eſt: & ita habet tum Aldi, tum Colinæi, tum Roberti Stephani, tum Gryphij exemplar. Porro ſi exemplarium tam caſtigantium autoritatē nō ſequatur obtreſator, rationis aliquid afferat, quare potius, ut uult, quàm, ut citauimus, & omnia exemplaria habent, legendum ſit. Afferet, puppes reperiri pro nauibus, ut pars pro toto ſumatur. Non etiam proræ pro nauibus capi poſſunt, ut pars pro toto ſumatur: Non prora nauis pars eſt.

HAE ſunt, mi Bayſi, tui Compēdiarij in me criminationes, quas penè inuitus refutaui. Ita enim me
iandiu

iandiu comparavi, illudque cepi consilium, ut istiusmodi nebulonum petulantiam, muliebremque loquacitatem citius risurus sim, quam uel tantilli facturus, uel ulla omnino oratione refutaturus. Equidem probe scio, quam minima, uel nulla potius sit aut laus, aut ingenij commendatio, in hoc pugnaci scribendi genere uersari. Satis etiam, superque noui istarum hominum quisquiliarum mores: qui eruditorum, & insigniter eloquentium Apologijs illustrari se & student, & sperant. Hac uia, atque ratione quantum temporis iacturam, quam nullum gloriae questum fecerit Erasmus, dum omnibus laceffentibus responderet, non dubium habeo. Quam illius Apologiae iam frigeant: quam parum in doctorum manibus sint, uideo. Quare alieno damno cautior mature factus, obtrektoribus, & dicaculis istis ludimagistris (quos qui melius in omnem posteritatem infames reddam, quam meo uno aliquo iambico epigrammate) quamlibet uelint, obloquendi, obtrektandique licentiam libenter permitto: neque laboro, ut me postea aduersus tam leues morsus defendam. Procacitatis amatores facile silentio frangam. Silentio facile eludam (nisi graui admodum iniuria laceffitus) quos mutuae garrulitatis expectatio ad garrendum commouet. Facile taciturnitate repellam, quos ad laceffendum ostensa concertationis spes adducit. Quid enim studia mea grauioribus rebus dicata, tam leuibus scriptionibus conteram? Quid tam ie-

C iunis

IN CRIMINAT. DEFENS.

iunis argumentis uacem? Quam ex tam ignobilibus, tam abiectis concertatoribus laudem uictoriae quaeram? At in tam agrestem, & insulsum nebulosum haec nimia sint. In te uero qua uoluntate sim, si forte scire aues, ea mehercule sum, qua erga uirum probissimum (ut adhuc mea fert opinio) modestissimum, doctissimumque esse omneis decet. Te (si ita uis) amo, te colo, te obseruo. Ingenium tuum, doctrinam tuam amplector, atque suspicio. Tu fac, ut amoris nostro respondeas, & crescenti adolescentis existimationi ne te inimicum ridicule prebeas.

Vale. Lugdu

ni Calend.

Maijs.

M. D. XXXVII.

F I N I S.

D O L E T I I N Q V O S
dam ineptè de doctorum
scriptis iudicantes

I A M B I C V M C A R M E N .

Feces hominum, uenti, nebulae, atque quisquiliae,
Algaeque, flocci que, & male olentia stercora,
Inania pondera terrae, onagri, beluae,
Umbræ uacuae sensu, cucurbitae, graui
Somno papauera plena, mortis imagines,
Quid litteratorum labores iudicijs
Censetis absurdis? Decet id uos scilicet
Molles uoluptatis columbellos: decet id
Umbras uacuas sensu, cucurbitas, graui
Somno papauera plena, mortis imagines?
Quin uos uoluptati ualidis incumbite
Remis: cutem, uentrem, gulam, penem potius
Curate (rem uobis propriam) nec litteras,
Nec litteratorum labores tangite.

LECTORI SAL.

NOSTRVM in re Nauali describenda ordinem nescis? Quæ actutum subiiciam, legito. Continuo, qui mihi & in re Bellica (à qua Secundi Commentariorum meorum Tomi initium duxi) & in re Rustica, & in re Nauali ordo perpetuus est, nullo labore disces. Minima, & quibus uelut quædam rei fundamenta iaciuntur, primum à nobis tractantur. Deinde gradatim ad grauiora, id est, ad rem magis facientia, prouehimur. Id ipsum serie infra posita facilius perspicias.

REI NAVALIS VOCVM SERIES.

ID TV etiam scito, nullam esse in sequentibus uocem, cuius & significatio siue propria, siue translata, & usus, & locutiones à nobis nō demonstrantur, & suis exemplis uel ex Cicerone, uel ex Cæsare, uel ex Liuiio collectis illustrentur. Perge, & attentè, beneuolèq; lege. Præter beneuolentiam, & æquum iudicium nihil à te postulamus.

VOCVM SERIES.

Aqua	Præterfluere
Palus	Illabi
Scaturigo	Præterlabi
Gutta	Alluere
Fons	Ostium
Puteus	Pons
Stagnum	Mare
Lacus	Pontus
Riuus	Pelagus
Vadum	Fretum
Amnis	Salum
Fluuius	Nauiſ, uel claſſis
Flumen	Nauium genera
Alueus	Nauiſ partes
Gurges	Nauiſ instrumenta
Vortex	Naui locutiones conue-
Vorago	nientes
Oriri	Nauta
Manare	Nauarchus
Stillare	Tempeſtas
Fluere	Ventus
Fluitare	Flatus
Effluere	Aeſtus
Profluere	Fluctus
Influere	Vnda
Confluere	Imponere

Inuehere, & similis si-	Tranare
gnificationis uerba,	Transnatare
Conscendere	Transire
Soluere	Cursus
Nauigare	Appellere
Vehere	Applicare
Subuehere	Litus
Transuehere	Ripa
Præteruehere	Ora
Transferre	Portus
Transportare	Sinus
Transducere, uel tra-	Anchora
ducere	Anchoralia
Transmittere	Exponere.
Trañcere	

INDEX ALPHABETICVS OMNIVM
nominum, quæ in hoc libro
exponuntur.

A		<i>Altum</i>	58
<i>Actuaria</i>	60	<i>Alluere</i>	41
<i>Actuaria</i>	60	<i>Alluio</i>	42
<i>Aduchere</i>	117	<i>Alluies</i>	42
<i>Aestus</i>	105	<i>Amnis</i>	16
<i>Aestus extra significationem mariti-</i>	106	<i>Anchora</i>	185
<i>man</i>		<i>Anchoram soluere, præcidere, tolle-</i>	169
<i>Aestuare</i>	107	<i>re</i>	189
<i>Aestuofus</i>	108	<i>Anchoralia</i>	29
<i>Aestuaria</i>	108	<i>Andreas Nauagerius</i>	73
<i>Alueus</i>	21	<i>Antenna</i>	173
<i>Alucolus</i>	21, 22	<i>Appellere</i>	173
		<i>Applicare</i>	

I N D E X.

Applicare	173	nis utitur	67
Aphractum	67	Circunferre	118
Apportare	121	Circungestare	120
Aqua	2	Circunluuio	42
Aquam ducere, uel deducere	3	Cymba	63
Aqueductus	3	Clasicum unde dictum	82
Aqua mihi heret	3	Clasfis	93
Aqua intercus	4	Clasfis pro ordine	94
Aquare	4	Clasficus	94
Adaquare	4	Clasfis ad rem nauticam pertinens	94
Aquatio	5	Clauus	72
Aquarius	5	Clauo trabali figere	72
Aquarius pro signo cæli	5	Colluuius	44
Aquilex	5	Colluuiio	44
Aquilegium	5	Comportare	121
Aquatilis	6	Confluere	39
Aquaticus	6	Confluens Rhodanus	39
Aqualicus	6	Conscendere	142
Aqualiculus	6	Conscensio	144
Artemon	79	Conuehere	114
Asportare	123	Conuector	114
Assa uox	82	Corbita	60
Aura	103	Cursus	173
Aura translationem habens	104	D	
B		Defluere	33
Biremes	60	Defluus, a, um: uel, Defluuium	34
C		Deonerare	127
Carina	69	Deportare	122
Catafropium	64	Deriuare	14
Caudica	60	Deriuatio	15
Celeustes	82	Dicrota	67
Celeuma, uel Celeusma	82	Diluere	46
Celox	61	Dilutus	47
Celoces pro piraticis nauibus	62	Dilutus color	47
Cercurus	61	Dilutum, ti	47
Ciceronis locus restitutus	29.94	Diluuius	47
Ciceronis locus expositus	110.185	Diluuium	47
Cicero sepe Grecis uocibus, pro Lati-		Dimanare	26
		C 4	Distillare

I N D E X.

Distillare	27	Fluuiialis, uel fluuiatilis	16
E		Fluxio	35
Effluere	35	Fluxus	31
Eluere	45	Fons	8
Eluuiēs	45	Fontes sitire	9
Eluuiō	45	Fori	71
Emanare	26	Fretum	57
Embata	67	Fretus,us,ui	57
Enare	169	G	
Epibata	67	Gaulus	60
Epibata pro militibus classiarijs	67	Geseoretæ	63
Erasmi Roterodami obitus	76	Gladiatorum, & Pilorum genera diuer-	
Euehere	114	sa	59
Exæstuarē	108	Grāmatorū somnia, & deliramēta	7
Examinare	141	Gurges	21
Exonerare	127	Gurgitis translatus usus	24
Exponere	189	Gutta	7
Exportare	124	H	
Exportatio	124	Helciarij	82
F		Hieronymus Vida	22
Ferre	115	Hippagines	63
Ferendi uaria significatio, & usus	115.117	Hortator	82
Ferendi elegans significatio	116	I	
Flamen	105	Illabi	40
Flamen pro sacerdote	105	Illuuiēs	44
Flare	105	Imponere	111
Flatus	104	Importare	120
Fluere	28	Inferre	116
Fluitare	32	Influere	37
Flumen	17	Ingerere	119
Fluminis natura	18.19	Ingurgitare	23
Secundū flumē, Aduersum flumē	18.19	Inuehere	112
Flumen deriuare	19	Inuectio	113
Flumen auertere	20	Inundare	118
Flumen translātē positum	20	L	
Fluctus	108	Lacus	10
Fluctuare	108	Lacus qui torculari supponuntur	12
Fluuius	16	Lacus in edificijs	12
		Lacuna	12

I N D E X.

Lacunar	12	Nauem edificare	83
Lanx	139	Nauem instruere	84
Lanx pro uase escario	139	Nauem sumere	84
Lanx pro statera	140	Ad nauem ascendere	84
Laquear, uel laquearium.	12	Nauem incitare se	85
Latera	69	Nauem gubernare	85
Lazarus Bayfius	59	Nauem tenere, pro gubernare	85
Lembi	61	Nauem ex portu educere	85
Lenunculus	62	Nauem deducere	85
Libra	137	Nauem subducere	85
Libella	138	Nauem ad terram detrahere	86
Librare	139	Nauem constituere	86
Librator	139	E' nauis egredi, desilire, uel è nauis se	
Libramentum	139	proijcere	86
Librile	138	Nauem frangere	87
Libripens	138	Nauem eucrtere	87
Liburni exempla	66	Nauem deprimere	87
Liburnum	65	Naues interire	88
Lintres	62	Nauem reficere	88
Litus	174	Nauicula	88
Longæ	59	Nauigium	88
Malus	72	Nauigiolum	89
Manare	24	Naualis	89
Mare	52	Nauale substantiuum	90
Mare inferum apud Ciceronem: id est,		Nauta.	90
Tuscum	52	Naues à patria nomen sortiuntur	65
Mare superum: id est, Adriaticum	52	Naues ab eo ministerio, quod præstant,	
Mare cælo miscere, uel confundere	53	nominatæ: uel à rebus, quas subue-	
Marinus	53. 54	hunt	65
Maritimus	53. 54. 55	Nauium appellationes, & nomina uer-	
Nare	168	ria	58
Natare	168. 169	Nauigare	146
Natrix	169	Nauigatio	149
Nauis	58	Nauigationi se committere	150
Nauis partes præcipuæ	68	Nauigationem subire	150
Nauis partium enumeratio	68. 69.	Nauigationem impedire, uel præclu-	
70		dere	150
Nauem comparare	83	Nauigationem omittere	151
		Nauticæ	

I N D E X.

Nautica rei uocabula	1	Phaseli	64
Nauticus	91	Pondus	135
Nauculator	91	Ponderosus	136
Naucularius	92	Ponderare	136
Naucularia	92	Pondo	137
Nauclerus	92	Pons	94
Nauculariam facere	92	Pontem facere, uel efficere	50
Nauclerius	92	Pontem interrumpere	50
Naucleriacus	92	Pontem inscindere, uel rescindere	51
Nauarchus	93	Pontem disturbare	51
Nausea	151	Ponticulus	51
Nauseare	151	Pontones	63
		Pontus	56
O		Portare	120
Onerare	125	Portus	178
Onustus	126	Ex portu prodire, uel progredi	180
Onerarius	127	In portum cogere	180
Onerariae naues	59	In portum compellere	180
Onus	127	In portum conijcere	180
Onus imponere	128	In portum inuehi	180
Onus addere	129	In portum deferri	181
Onus recipere	129	In portum se recipere	181
Onus suscipere	129	In portum uenire, uel peruenire	181
Onus tollere	129	Portum capere	181
Onus habere	130	Portum tenere	181
Onus sustinere	130	Portus pro profugio	182
Onus perficere	130	In portu nauigare	183
Onere premi, uel opprimi	130	In portu esse	184
Onere leuare : uel onus alleuare	131	In portu impingere	184
Onus deponere	131	Portuosus	184
Ora	176	Præterfluere	40
Oram soluere	176	Præterlabi	41
Oriri	24	Præteruehere	155
Ostium	48	Præteruectio	156
		Profluere	35
P		Profluens	35
Palus	6	Profluentia	37
Palustris	6	Profluenter	37
Parones, uel Myoparones	64		
Permanare	26		
			Proluere

I N D E X

Proluere	43	Remus	79
Proluuium	43	Remum inflectere	79
Proluuius	47	Remos detergere	79
Prora	68	Remigare	80
Proreta	68	Remigatio	80
Prora, & puppis pro summa confi-		Remex	80
lij	69	Remigium	81
Profumie	63	Remis, uelisq;	76
Prouincia	132	Renauigare	149
Prouincia pro terra	132	Reportare	124
Prouinciam obtingere alicui	132	Ripa	174
Prouinciam obtinere	133	Riuus	12
Prouinciam habere	133	Riuualis	13
Prouinciam deponere	133	Riuales, unde dicti	13
Prouincialis	133	Sine riuali diligere	13
Prouincialis pro ad prouinciam perti-		Riuualitas	14
nente	134	Rostrata, uel turrita naues	66
Prouincia, pro onere uel negocio	134	Rudentes	73
Prouinciam deponere	134	S	
Prouinciam dare, uel tradere	134	Salum	57
Prouinciam capere	134	In salo stare, uel esse	57
Prouinciam sustinere	135	Salum pro iactatione	58
Puppis	68	Scalmus	81
Puteus	9	Scaphæ	62
Puteanus	9	Scaturigo, uel scatebra	7
Putealis	9	Scatere, uel scaturire	7
Putearius	10	Schediæ	62
Q		Sentina	70
Quadriremes	60	Symphoniaci serui	82
Quinqueremes	60	Sinus	185, 187
Quinqueremis usus relatus apud Ve-		Sinus pro familiaritate, uel amici-	
netos	61	tia	185
R		Sinus pro litore	186
Ratis	64	Sinuosus	187
Reflare	105	Soluere	144
Reflatus	105	Stagnum	10
Remeculi	62	Stagnare	10
Remulcus	66	Statira	140
		Stillare	

I N D E X.

Stillare	27	Trutina	140
Stilla	27	Trutinare.	141
Stillicidium	28		V
Subluere	42	Vadum	15
Subluuies	43	In uado esse	15
Subuehere	155	Vehere	152
Supportare	123	Vector	153
Tempestas	96	Vectio	154
Tempestas extra rem marinam	96	Vehiculum	154
Tempestas ad rem marinam pertinens:		Vectura	154
idq; in bonam partem	96	In ma-	
lam partem	97	Vela	74
Traductor	163	Vela pandere	75
Traductio	163	Vela dare	75
Traicere	165	Vela ducere	75
Traiectio, uel Traiectus, us, ui	167	Vela subducere	75
Tranare	168.169	Vela contrahere	75
Transnatare	169	Velis, equisq;	76
Transire	170	Velare	78
Transducere, uel Traducere	161	Velificare, uel Velificari	78
Transferre	157	Velanda pro pudendis	78
Translator	159	Velificatio	79
Translatio	159	Ventus	100
Translatitiuus, Tralatitiuus, Transla-		Ventum expectare	101
titiuus	160	Ventum nancisci	101
Transmarinus	153.55	Ventum habere	101
Transmittere	164	Vento se dare	101
Transmissio	165	Ventus cum translatione	102
Transmissus, us, ui	165	Ventosus	103
Transportare	160	Vnda	110
Transstra	71	Vorago	21.23
Transuehere	155	Vortex	21.24
Transuectio	155		
Transitus, uel Transitio	172		
Triremes	60		

F I N I S.

STEPHANI

DOLETI LIBER DE

RE NAVALI: EX

Secundo Linguae Latinae

Commentariorum

Tomo excer-

ptus.

NAVITICAE

reiuocabula,



ELLICAS uoces *Ita incipit locus*
suprà absoluimus: *de re Nauali in*
nūc nauticas assume *secundo Tomo*
mus. In quibus ex *Commentariorū*
plicandis eo ordine *Linguae Latinae.*
utemur, ut à minimis exordium ducamus: scilicet, Aqua, Scaturigine, Fonte, Stagno, Lacu, Fluiuio, Flumine: deinde

ad maiora progrediamur, nempe Mare, & rem totā nauticam. Nauicularia enim & in fluuio, & in mari exercetur: & aquam uelut pro fundamento habet. Quare ita à minimis ordiri, non absurdum uidebitur, sicq; res pedetentim crescet, atque exurget, ex-

a plica

plicatioꝝ eo ordine erit.

A Q V A.

*Grammaticorū
somnia, & deli-
ramenta.*

T A M uulgaris est huius nominis significatio, ut nulla uel accuratiori, uel longiori interpretatione indigeat: quanquam Grammatici (ut somniorum, & deliramentorum pleni sunt) multa de huius nominis origine garriant. Alij ex à, & qua, compositum, quasi à qua uiuamus. Alij ab æquo, ablato e, sicut harenam ab hærendo. Sed tu meo consilio & has, & alias similes grammaticorū ineptias riseris, & autorum antiquorum exemplis in dignoscendis uocum significationibus totus ipse nitere. Est igitur aqua humor, & elementum, quo quotidie ad necessaria utimur. Cicero pro Rosc. Comœd. Nonne ut ignis in aquam coniectus continuo restinguitur, & refrigeratur: sic referuens falsum crimen in purissimam, & castissimam uitam collatum statim cõcidit, & extinguitur: Idẽ pro Planc. Cũ Puteolos forte uenissem, me unũ feci ex ijs, qui ad aquas uenissent. Idem de Orat. I. Quæ mihi uidetur non tam ipsa aquula, quæ describitur, quàm Platonis oratione creuisse. Idem de Orat. II. Vbi non seclusa aquula teneatur, sed unde uniuersum flumen erumpat. Cæs. de Bel. Gal. lib. III. Quibus disclusis, atq; in contrariã partem remotis, tanta erat operis firmitudo, atq; earum rerum natura, ut quò maior uis aquæ se incitauisset, hoc arctius illigata tenerentur. Idem de Bel. Gal. lib.

V. Ea celeritate, atq; impetu milites ierūt, cū capite solo ex aqua extarēt, ut hostes impetum legionum, atque equitum sustinere non possent. Idem de Bello Alexand. lib. III. Puteis, fontibusq; aquam dulcem posse reperiri affirmabat. omnia enim littora naturaliter aquæ dulcis uenas habere. Ibidē: Quo suscepto negocio, atque omnium animis ad laborem incitatis magna una nocte uis aquæ dulcis inuenta est. A-
 QVAM COLLIGERE. Cic. ad Quint. frat. In Arcano ad III. Iduum Septemb. fui. ibi Mensidium cum Philoxeno, aquamq; quam n̄ ducebant nō longè à uilla, bellè sanè fluentem uidi, præsertim maxima siccitate: uberioresq; aliquantò sese collecturos esse dicebant. A QVAM DUCERE: VEL DE-
 DUCERE. Cicero ad Quint. frat. Quem ego Romæ aggrediar, & arbitror, commouebo, & simul inde Taurum, quem tibi audio promississe, qui nunc Romæ erat, de aqua per fundum eius ducenda roga-
 bo. Idem de Diuin. I I. Ita aqua Albana deducta ad utilitatē agri suburbani, nō ad arcem, urbemq; retinendam. A QVÆ DVCTVS. Cicero ad Attic. XIII. De aquæductu probè fecisti. Idem Offic. I I. Adde ductus aquarum, deriuationes fluminū, &c. Idem de Leg. Ductus uel aquarum, quos isti tubos, & euripos uocant, quis non irriserit. MIHI AQVA
 HAERET. Ex aqua ducitur prouerbialis loquendi modus: scilicet, Mihi aqua hæret. Et significat difficultatem in re facili contra morem adhiberi. Cū

*Aquam collige-
re.*

*Aquam ducere:
uel deducere.*

Aquæductus.

*Mihi aqua hæ-
ret.*

a z enim

enim aqua fluere, & labi soleat, hæerere contra suam naturam per prouerbum dicitur: id est, rem difficillem fieri, quæ facilis potius esset. Cic. ad Quint. frat. In hac causa mihi aqua hæret. Idem ad Attic. Mihi aqua hæret. Idem Offic. III. Dicit ille quidem multa multis locis: sed aqua hæret (ut aiunt). A Q V A

Aqua intercus.

I N T E R C V S. Aqua intercus est, quam hydropisim uocamus. Cicer. Offic. III. Si quis medicamentum cuiquam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, &c. Plinius hunc morbum aquæ subter cutem

Aquare.

fusæ nominat. A Q V A R E. Aquare est aquæ facultate iuuare, uel uti: uel aquam haurire: uel ad hauriendam ire. Cæsar de Bello Gal. lib. VIII. Ex ea turri cum tela tormentis iacerentur ad fontis aditus, nec sine periculo possent aquari oppidani, non tantum pecora, atque iumenta, sed etiã magna hominum multitudo siti consumebatur. Idem de Bello Alex. lib. IIII. Cum ad eum locum accessisset, qui appellatur Cherronesus, aquandique causa remiges in terram exposuisset, nonnulli ex eo numero, cum longius à nauibus prædatum processissent, ab equitibus hostium sunt excepti. Quint. Curt. Cum miles aquatū profectus esset. Verg. Sub mœnibus urbis

Adaquare.

aquantur. A D A Q V A R E. Adaquare est aqua reficere: ut adaquare equos, adaquare iumenta. Cæs. de Bel. Ciu. lib. I. Media circiter nocte ijs, qui adaquandi causa longius à castris processerant, ab equitibus correptis, fit ab his certior Cæsar, duces aduersario-

rum

rum silentio copias castris educere. Sueton. in Caligula. Ita decreuit, ut ad locum, ubi adaquare solebat iumentū, duceretur capite inuoluto. A Q V A T I O.

Cicero Offic. III. Tum Caninius: quæso, inquit, quid est ò Pithy? tantum'ne piscium? tantum'ne Cymbarum? Et ille. Quid mirum, inquit, hoc loco est, Syracusis quicquid est piscium: hîc aquatio.

Aquatio.

hac uilla isti carere non possunt. A Q V A R I V S.

Aquarius.

Aquarius est ad aquam pertinens: ut, cos aquaria: sulcus aquarius: & aquarj homines: aquaria puincia. Cic. in Vatinius: Cum tibi aquaria prouincia forte obtigisset. Cælius Cicer. familiarium VIII.

Nisi ego cum tabernarijs, & aquarijs pugnarem, ueternus ciuitatem occupasset. Plin. Quippe cum in exacuendo oleares cotes, & aquariæ differant, oleo delicatior ei fiat acies. Columella: Crebrosq; fulcos aquarios, quos & nonnulli elices uocant.

PRAETER HAEC PONITVR A Q V A R I V S PRO SIGNO COELI.

Aquarius pro signo caeli.

Cicero in Arat. Et gelidum riuum fundens Aquarius. Idem de Diuination. II. Capiti autem Equi proxima est Aquarij dextra: totusq; deinceps Aquarius. A Q V I L E X.

Aquilex dicitur, qui uenas aquæ, & fontium inquirat, & repertam aquam per tubos ducit.

Aquilex.

Plinius: Syluestris ubi nascitur, subesse aquas credunt, & hoc habent signum aquileges. Plinius in epist. In primis necessarium est mitti à te uel aquilegem, uel architectum. A Q V I L E G I V M.

Aquilegium.

a 3 legium

Aquatilis.

legium locus est, ubi colligitur aqua. Plaut. Si pluet, aquilegio me iuuabo. **AQVATILIS.** Aquatilis est aquarū incola: ut bestia, uel aues aquatiles. Cic. de Natur. Deor. I. Bestiarum terrenæ sunt alia: partim aquatiles: alia quasi ancipites, in utraque sede uiuentes. Idem de Natur. Deor. II. Etiam admiratio nonnulla in bestijs aquatilibus his, quæ gignuntur in terra. Ibidem: Vescimur bestijs & terrenis,

*Aquaticus.**Aqualicus.*

& aquatilibus, & uolatilibus. **AQVATICVS.**

Plin. Terrestres, & aquatici pisces. **AQUALICVS.**

Aqualicus est pars alui, in quam sordes defluunt.

Apitius: Reple aqualicū, si quod laxamentū habet,

Aqualiculus.

ne diffiliat in coctura. **AQUALICVLVS.** Aqualiculus diminutium est ab aqualico. Persius: Nuzgaris, cum tibi Calue Pinguis aqualiculus propens

so sesquipedale extet.

PALVS.

PALVS dicitur locus, ubi paululum aquæ est

in altitudine, & palam latius diffusæ, inquit Varro:

quæ etiam quandoque siccatur. Cicero contra Rul.

Mithridates Meote, & illis paludibus defenditur.

Idem in Philipp. Ille paludes siccare uoluit. Cæsar

de Bell. Gal lib. V I. Palus difficilis, atque impedita.

Vergil. Geor. IIII. Cocyti, tardaꝗ palus inama-

Palustris.

bilis unda. **PALVSTRIS.** Columella lib. I. cap.

V. Deterrima aqua palustris, quæ pigro lapsu repit:

pestilens, quæ in palude semper consistit.

Scatur

SCATURIGO,

uel Scatebra.

SCATURIGO, uel Scatebra est ebullitio aquę furgentis: ut uidere est in fontibus. Columella libro IIII. Præstat non conferere, quàm in summa terra suspendere: nisi tamen scaturigo palustris obuia sit. Plinius: Quà datur accessus homini, scatebrisq; decursus. Vergilius Georgic. I. Scatebrisq; arentia temperat arua. SCATERE, VEL SCATURIRE. Vtrunq; hoc uerbum fontium est: & significat exilire, uel ebullire. Transfertur uerò nonnunquam ad multa: & tunc ablatiuum regit, nisi absolutè ponatur. Cicero Tusculan. I. Fontes scatere: herbis prata conuestirier. Cælius Cicero, fam. mil. VIII. Vt nunc est, hoc scaturit.

Scatere, uel
Scaturire.

GUTTA.

GUTTA est minima pars aquæ: uel alterius materiæ liquidæ. Cicero de Orat. III. Numerus in continuatione nullus est: distinctio, & æqualium, & sæpe uariorum interuallorum percussio numerū conficit: quem in cadentibus guttis, quod interualis distinguitur, notare possumus: in amni præcipitante nō possumus. Idem Tuscul. II. Ex quo liquatæ solis ardore excidūt guttæ. Idē de Natura Deor. Guttæ imbrium quasi cruentæ. Plautus in Casin. Dij me, & te infelicitent, si ego in os meum uini guttam

tam indidi. Plinius libro X X X I. cap. 11. Distillantes quoque guttæ in lapides durefcunt in antris Corycijs.

F O N S.

F O N S est aqua de terra ebulliens, & manans. Cicero in Verrem Actione V I. Syracusis est fons aquæ dulcis, cui nomē Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus pisciū. Cæsar de Bello Gal. libro V I I I. Eodē tempore tectos cuniculos agunt ad caput fontis. Ibidem: Ad postremum cuniculis uenæ fontis intercisæ sunt, atque auersæ: quo facto repente fons perennis exhaustus tantam attulit oppidanis salutis desperationem, ut id non hominum consilio, sed deorum uoluntate factum putarent.

Cum translatione.

F O N S C V M T R A N S L A T I O N E P O S I T V S. Cicero ad Brutum: Non dubitavi in Senatu consiliorum fontes aperire. Idem pro Murena: Noli tam esse iniustus, ut, cum tui fontes uel inimicis tuis pateant, nostros etiam amicis putes clausos esse oportere. Idem de Oratore I. Urgerent prætereà philosophorum greges, iam ab illo fonte Socrate. Ibidem: Qui omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo, ac memoria contineret. Ibidem: Equidem fontes, unde hauriretis, atque etiam itinera ipsa putavi esse demonstranda. Idem de Orat. II. Tardi ingenij est riuulos consecrari, fontes rerum non uidere. Ibidem: Si quis legum fontes, & capita uiderit. Idem in Tusculan.

Multò

Multò studiosius philosophiæ fontes aperiemus. Idem in Academic. Vt ea à fontibus potius hauriāt, quàm riuulos consecretentur. Idem de Natura Deor. Hæc omnia ex eodem fonte fluxerunt. A' FONTE ducitur prouerbialis ironia: scilicet, Fontes ipsi sitiunt: in eos uersa, qui petunt ab alijs, quod ipsis affatim abundet domi. Cicero ad Quint. frat. Tibi, quod rogas (quoniam ipsi fontes iam sitiunt) si quid habebo spatij, scribam. Significat fratrem magis abundare uersibus, quos tamen à se petat, perinde quasi carminum indigens.

Fontes sitire.

P V T E V S.

P V T E V M uocant, qui perpetuas habet aquas. Cicero de Prouincijs Consularib. Constat nobilissimas uirgines se in puteos abiicisse, & morte uoluntaria nefariam turpitudinem depulisse. Idem de Natura Deor. I. Lapidum conflictu, atque tritu elici ignem uidemus, atq; etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi. Idem de Diuinatione II. Cùm aquam uidisset ex puteo haustam, terræ motum dixit futurum. Vergilius Georgicorum III. Ad puteos, aut alta greges ad stagna iubeto Currentem ilignis potare canalibus undam. P V T E A N V S. Puteanum appellatur, quod ex puteo est. Vnde aquam puteanā dicimus. Plinius lib. XVI. Deinde, quantum expressere, adijciunt uinaceis aquæ puteanæ, ut & secundariū passum faciant. P V T E A L I S.

Puteanus.

Putealis.

b Putealis

Putearius. Putealis eadem significatione est, qua puteanus. Ouid. Vt quo dux Pœnus merfit putealibus undis. **PUTEARIUS.** Putearius dicitur, qui puteos fodit. Plinius: Depressis puteis sulphuraria, uel aluminosa occurrentia putearios necant.

S T A G N V M.

Stagnare. **S T A G N V M** à stando dici uolunt: & ponitur pro aqua stante. Cicero de Diuinat. Absurdoque sono fontes, & stagna cietis. Stagnum pro parte maris profundissima posuit Verg. lib. Aeneid. I. quod ea minime moueatur, semperque stet: id est, quiescat. Emissamque (inquit) hyemem sensit Neptunus, & imis Stagna refusa uadis. **S T A G N A R E.** Stagnare aquam dicimus, cum non efluit, neque sorbetur. Verg. Georg. I I I I. Nam quos Pellæi gens fortunata Canopi Accolit effuso stagnantem flumine Nilum. **P R A E T E R H A N C S I G N I F I C A T I O N E M** stagnare terram dicimus, quæ non absorbet, sed continet aquam. Plin. Agris humidis, atque stagnantibus.

L A C V S.

L A C V S. locus est profundus cum aquis perpetuis ibidem natis, qui efficit riuos, & flumina. Cicero in Verr. Act. VI. Circa Ennâ lacus sunt, lucique plurimi, & lectissimi flores omni tempore anni. Idem in Verr. Act. VII. Deæ, quæ illos Ennæses lacus, lucosque colitis. Idem de Diuinat. Cum lacus Albanus præter modum creuisset. Vergil. Aeneid. II. Li-

mosoꝝ lacu per noctem obscurus in ulua Delitui.

PRAETER HANC SIGNIFICATIO

Lacus, qui torculari supponitur.

NEM sunt lacus, qui torculari supponuntur ad excipiendum mustum: & labra lignea, quibus uindemiae apud nos importantur: quibusque ad balneum utimur. Cicero in Bruto ita translate usus est: Num igitur, qui hoc sentiat, si is potare uelit, de dolio sibi hauriendum putet: minimè: sed quandam sequatur ætatem. sic ego istis censuerim & nouam istam quasi de musto, ac lacu feruidam orationem fugiendam: nec illam præclarã Thucydidis nimis ueterem notã persequendam. Columella: Antè quàm prelo uinaea subiiciantur, de lacu quàm recentissimum addito mustum in amphoram nouam, eamque oblinito, & impicato diligenter. Plinius in epist. Ipse uindemias colligo: si tamen colligere est nonnunquam decerpere uuam, torcular inuisere, gustare de lacu mustum.

LACVS ETIAM IN AEDIFICIIS

Lacus in aedificijs.

dicitur plana trabs, uel tabulatum, quo tectorum, ac camerarum superiora ornantur. Lucil. Resultantque ædesque, lacusque.

LACUNA. Lacuna, autore Ser. fos

Lacuna.

sa dicitur, in qua collecta aqua stare consuevit. Verg.

Georgic. I. Præsertim incertis si mensibus annis abundans Exit, & obducto latè tenet omnia limo:

Vnde cauae tepido sudant humore lacunae. LACUNA ETIAM dicitur fossa ad siccandos agros parata. Vergil. Et totae solidam in glaciem uertere lacunae.

HOC NOMINE TRANSLATE sic

Translate posita.

utitur

b 2

utitur

utitur Cicero in Verr. Act. IIII. Itaq; Censores fecerunt idem, quod in nostra Repub. solent n̄, qui per largitionem magistratus adepti sunt: dederunt operam, ut ita potestatem gererent, ut illam lacunam rei familiaris explerent. Idem ad Attic. XII. Vide, ne qua lacuna sit in auro. Lacunam nonnulli h̄c interpretantur pro fraude. **LACUNAR.** Lacunar diminutivum est à lacu, quando accipitur pro trabe. Sueton. in Nerone: Lacunaria, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc etiam laquear, & laquearium à Latinis dicitur. Verg. Dependunt lychni laquearibus aureis. Potius tamē lacunar est interstitium tignorum à similitudine lacuum. Horat. Nec mea renidet in domo lacunar. Cic. Tusc. V. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari seta equina appensum demitti iussit, ut impendēret illius beati cervicibus.

Lacunar.
Laquear, uel laquearium.

R I V V S.

RIVVS est locus depressus per longitudinem aquæ currentis. Cicero de Fato: Quid autem magnum, & naufragum illum sine nomine in riuo esse lapsum? **TRANSLATE PERSA EPE POSNITVR.** Cicero pro Cæli. Si mihi ad hæc acutè, argutèq; responderit, tum quæram denique, ex quo iste fonte Senator emanet. Nam si ipse oriatur, & nascetur ex sese, fortasse, ut soleo, commouebor. si autem, ut riuulus, accersitus, & ductus ab ipso capite accusa

Translate positus.

accusationis uestræ, lætabor, cùm tanta gratia, tantisq; opibus accusatio uestra nitatur. Idẽ de Orat. II. Tardi ingenij est, riuulos cõsectari, fontes rerũ non uidere. Idem in Topic. Partium distributio sæpe est infinitior, tanquam riuorum à fonte deductio. R I

Riualis.

V A L I S. Riuales à riuo dicuntur: & sunt propriè, qui per eundẽ riuum aquam ducunt: inter quos sæpe

Riuales unde dicti.

pe contentio est de aquæ usu. Translatè uerò dicuntur, qui eandem amant. Quam translationem nonnulli sumptam uolunt à bestijs, quæ sitiētes, cùm ex eodem riuulo haustum petunt, prælium cõtra se inuicem concitant. Vel à re rustica. Nam riuales propriè etiam dicuntur ij, quorum agros riuus aliquis determinat: qui incertitudine, & mutatione crebra cursus, lites sæpe inter eos suscitatur. Hæc sit trãslationis ratio: sequuntur modò exẽpla. Terēt. in Eunuc.

Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristẽ uideo, riualis seruum. Plautus in Stichis: Eadem est amica ambobus: riuales sumus. Ex ea riualis translatione prouerbialis est loquendi modus: scilicet, Sine riuali diligere, uel amare. Sine riuali autem diligere dicuntur, qui stultè mirantur, quod nemo alius concupiscat. Veluti Simia catulos suos & miratur, & amplectitur: & indocti poëtæ suas nugas soli diligunt. Sumpta est allegoria ab amantibus, quibus est amica deformis, & quam alius nemo uelit. Cicero ad Attic. libro V I. Huius nebulonis oratione, si Brutus moueri potest, licebit eum solus ames, me æmulum nõ ha-

Sine riuali diligere.

b 3 bebis.

bebis. Idem lib. ad Quint. frat. III. O' dii, quàm ineptus, quàm se ipse amans sine riuali. Horat. in Arte poëtica: Nullum ultrà uerbum, aut operam fumebat inanem, Quin sine riuali, teq; & tua solus amares. RIVALITAS. Riualitas dicitur æmulation inter riuales. Cicero Tusculanar. IIII. Obtrectare alteri, aut illa uitiosa æmulatione, quæ riualitati similis est, æmulari, quid habet utilitatis? DERIVARE. Deriuare uerbum est à riuo ductum: quod propriè significat aquam è riuo aliquo ducere. Dicimus tamen etiam flumen deriuare, pro deflectere, uel auertere. De quo loquendi modo suo loco ponentur exempla. Columella libro I. Crebrò sulcos aquarios, quos nonnulli elices uocant, faciamus, & omnè humorem in cloacas, atque inde extra segetes deriuemus. Plautus in Trucul. Hoc as simile est, quasi de fluuio qui aquam deriuat sibi. AD MULTA TRANSFERTUR HOC VERBUM. ut, deriuare culpam: deriuare crimen: deriuare cogitationem, & similia. Cicero ad Atticum: Id poterat inficiari, poterat in alios deriuare. Idem in Verrem: Lucius Domitius aliò responsionem suam deriuauit. Idem in Philipp. Cogereis partem aliquam in Asiam deriuare curæ, & cogitationis tuæ. Idem ad Herennium: Cogitandum est, ne tota causa immutata in aliam causam deriuetur. Idem in Tuscul. Iustitia nihil in suam domum inde deriuat. Terēt. in Phorm. Instructa sunt mihi corde consilia omnia. C. Quid ages?

Riualitas.

Deriuare.

Translatè possum.

ages? P. Quid uis, nisi ut maneat Phanium, atq; ex crimine hoc Antiphonem eripiam, atq; in me omnē iram deriuem senis? DERIVATIO. Cic. Offic.

II, Adde ductus aquarum, deriuationes fluminum.

Deriuatio.

V A D V M.

V A D V M pro fundo fluminis, lacus, maris, & cuiuscunq; aquæ Latini ponunt, per quod uia datur. Ponitur etiam pro loco, qui propter breuitatem aquæ pedibus transiri potest. Cicero pro Cælio: Emersi iam è uadis, & scopulos præteruecta est oratio mea. Idem pro Quintio: Ad uada Volaterrana, quæ nominantur. Cæsar de Bel. Ciuil. lib. I. Quibus rebus perterritis animis aduersariorum, Cæsar, ne semper magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum, fossas pedum triginta in latitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris auerteret, uadumq; in eo flumine efficeret. Ibidem: Eodem ferè tempore pons in Ibero propè effectus nunciabatur, & in Sico-ri uadum reperiabatur. Ibidem: Vadum fluminis ten-

tare. Aⁿ V A D O metaphora prouerbialis est: In uado esse: pro eo, quod est in tuto, citraq; discrimen: sumpta à natantibus, aut nauigantibus. Terētius in And. Omnis res est iam in uado. Plaut. in Aul. Hæc propemodum iam esse in uado. salutis res uidetur. Vadū autē est, ut diximus, aquæ fundus: in quo quis quis constiterit, is iam effugit periculū, ne mergatur.

In uado esse.

Amnis

A M N I S.

A M N I S est fluuius, quem Grammatici nonnulli dici uolunt ab am, quod est circum, & natate fluere, quoniam fluxuoso meatu labitur. Vel ab am bio: omnia enim flumina circumeunt, ideoque cornuta pinguntur. Hæc Grammatici. Nos exēpla proferimus.

Cicero in Orat. Alter sine ullis salebris quasi sedatus annis fluit: alter incitator fertur.

Idem de Nat. Deor. II. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium.

Idem de Diuin. I. Quosdam exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos, & deflexos uidimus.

F L V V I V S.

F L V V I V S est annis, uel flumē: dictus quod semper fluat.

Cic. de Nat. Deor. II. Atque etiam cum ad fluuium Sagram Crotoniatis Locri maximo prælio deuicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiæ memoriæ proditum est.

Plautus in Curcul. Quisnam hic fluuius est, quem non recipiat mare?

F L V V I A L I S,

uel, Fluuiatilis.

F L V V I A L E dicitur, quod ex fluuio est: ut, aqua fluuiialis. Fluuiatile appellatur, quod in fluuio uiuit:

uiuít: ut piscis fluuiatilis. Appellatur etiam fluuiatile, quod est in fluuijs, ut fluuiatilis arena.

Cicero de Nat. Deor. 11. Est etiã admiratio nonnulla in bestijs aquatilibus his, quæ gignuntur in terra, ueluti crocodili, fluuiatilesq; testudines: quædamq; serpêtes ortę extra aquam, simulac primũ niti possunt, aquam persequuntur.

Plinius: Arenę tria sunt genera: fossitia, cui quarta pars calcis addi debet; fluuiatilis, ac marina.

FLVMEN.

FLVMEN est fluuius, uel amnis profluens.

Cicero de Arusp. Respon. Nauis in flumine publico uulgata omnibus.

Idem de Inuentione: Vt, qui trans flumen essent, uidere possent.

Cæsar de Bello Gallico libro 1. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit à flumine Rhodano, contineturq; Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum; attingit etiam à Sequanis, & Heluetijs flumen Rhenum.

Ibidem: Vndique loci natura tuti Heluetij continentur: una ex parte flumine Rheno latissimo, atq; altissimo, qui agrum Heluetiũ à Germanis diuidit.

Idem de Bello Gallico lib. 11. Fluminis erat altitudo circiter pedum trium.

Idem de Bello Gallico lib. 1111. Itaq; etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur, propter
c
latitud

latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis: tamen id sibi contendendum, aut aliter non traducendum exercitum existimabat.

Idem de Bello Gal. lib. VII. Disposito equitatu, qui uim fluminis refringeret, atque hostibus primo aspectu perturbatis, incolumem exercitum traduxit.

Fluminis natura: Secundum flumen: Aduersum flumen.

FLUMINIS natura quid sit: quid item, secundum flumen: quid quoque, flumen aduersum, primo Tomo ita multis uerbis ostendimus, ut hic quicquam addere, planè ridiculum sit: nisi fortè labori tuo cōsuli uelis (ne scilicet tibi ad primum Tomum recurrendum sit, ut persæpe recurrendum est) & noua quædam exempla adijci. Itaque annotauimus flumen secundum dici, quod in procliuius fluat. Vnde secundo flumine nauigare: id est, secundum fluminis fluxum. Et aduerso flumine: id est, contra fluminis fluxum, uel cōtra fluminis uim, & impetum. Sic fluminis natura dicetur, fluminis fluxus in propensum, & procliue raptus, uidelicet ad occidentem. De his singulis sequuntur exempla.

FLUMINIS NATURA.

Cæsar de Bello Gallico lib. IIII. Hæc cum machinationibus immissa in flumine defixerat, fistulisque adegerat, non sublicæ modo directæ ad perpendiculum, sed prona, ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent.

Secundum

SECUNDVM FLVMEN.

Cæsar de Bello Gall. lib. VII. Exercitum traducit, & secundo flumine Lutetiam iter facere cœpit.

Ibidem : Itaque sub uesperum concilio conuocato cohortatus, ut ea, quæ imperasset, diligenter, industrièq; administrarent, naues, quas à Meloduno deduxerat, singulas equitibus Romanis attribuit, & prima confecta uigilia, quatuor milia passuum secundo flumine progredi silentio, ibiq; se expectari iubet.

ADVERSVM FLVMEN.

Cæsar de Bello Gallico lib. VII. Quinque cohortes, quas minimè firmas ad dimicandum esse existimabat, castris præsidio relinquit : quin eiusdem legionis reliquas de media nocte cum omnibus impedimentis aduerso flumine, magno tumultu proficisci imperat.

Ibidem : Vno ferè tempore sub lucem hostibus nunciatur in castris Romanorum præter consuetudinem tumultuari, & magnum ire agmen aduerso flumine, sonitumq; remorum in eadem parte exaudiri, & paulò infrà milites nauibus transportari.

Idem de Bello Ciu. lib. III. Cæsari circuitu maiore iter erat longius, aduerso flumine, ut uado transire posset.

Flumen deriuare.

Cæsar de Bello Gallico lib. VII. Sic imis radicibus montis ferebatur, ut nullam in partem depress-

c 2 sis fos

sis fossis deriuari posset. Scilicet flumen.

Idem de Bello Alexand. lib. IIII. Pars quædam fluminis Nili deriuata inter se duobus itineribus, paulatim medium inter se spatium relinquens, diuersissimo ad littus interuallo à mari coniungitur.

Flumen auertere.

Cæsar de Bello Gall. lib. VI. Flumen infimam uallem diuidebat, quæ penè totum montē cingebat, in quo positum erat præruptum undiq; oppidum Vxellodunū: hoc auertere loci natura prohibebat.

Idem de Bell. Ciuil. lib. I. Quibus rebus perterritis animis aduersariorum, Cæsar, ne semper magno circuitu per pontē equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum, fossas pedum triginta in latitudinē complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris auerteret.

Flumen translate positum,
pro ubertate.

FLUMEN nonnunquam translate à Latinis ponitur pro magnitudine, amplitudine, diuite copia, ubertate, uel exuberantia.

Cicero pro Marcel. Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribēdi tanta uis, tantaq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsar res tuas gestas possit.

Idem de Orat. II. Videtis'ne, quantum munus sit oratoris historia? haud scio, an flumine orationis, & uarietate maximum.

Ibidem:

Ibidem : Tantum est flumen grauiſſimorū, opti-
morumq̄ uerborū : tam integræ ſententiæ, tam ue-
ræ, tam nouæ, tam ſine pigmentis, fucocq̄ puerili, ut
mihi non ſolum tu incendere iudicem, ſed ipſe arde-
re uidearis.

A L V E V S G V R
ges, Vortex, Vorago.

QVONIAM hæc nomina sæpe in fluuium, &
flumē cadūt, ea hīc declarare uifum eſt. **A L V E V S.** *Alueus.*

Alueus hoc loco fluminis eſt fundus, uel foſſa, per
quam labitur flumen. Plin. in epiſt. Tiberis alueum
exceſſit, & demiffioribus ripis altè ſuperfunditur,
&c. Verg. Aſſuetę ripis uolucres, & fluminis alueo.

P R A E T E R H A N C ſignificationem ad multa
alia quadrat. Aliquando enim pro nauis ponitur, ſi-
ue pro ipſius nauigij receptaculo. Titus Liuius: Al-
ueos informes raptim faciebant : id eſt, nauiculas.

Propert. Aut quidnam facta gaudes Neptune cari-
na? Portabat ſanctos alueus ille uiros. **D I C I T V R**

E T A L V E V S uas amplum, quo in balneis ute-
bantur. Cic. pro Cæl. Ex quibus requiram, quonā
modo latuerunt : alueus ne ille, an equus Troianus

fuerit. **D I C I T V R Q V O Q V E A L V E V S,**
locus ubi apes mellificāt: appellatus alueus, ut Var-
ro exiſtimat, à mellis alimonia. Plinius : Alueos ex
cornu ſpectatos eſſe : id eſt, apum aluearia. In hac e-
nim ſignificatione dicitur aluearium. **A L V E O**

l u s

*Alueolus pro ta
bula lusoria.*

*Hieronymus
Vida.*

Gurgis.

LV S. Alueolus ab alueo, diminutivum est. Et ponitur pro uasculo cauo: ut pro loco, in quo pullos pariunt columbi. Collu. lib. IX. Oua in alueolum ligneū cōferat. P O N I T V R P R A E T E R E A, pro tabula lusoria, quæ alio nomine dicitur latruncularia, & aleatoria, ab aleis, & latrunculis: id est, calculis, & uulgò scachis: quibus hinc bissenno puncto, illinc quadris discoloribus utimur ad ludum. Quem ludum mira ingenij dexteritate, & singulari carminis felicitate, grauitateq; descripsit Hieronymus Vida Cremonensis, poëta poëtarum nostræ ætatis longè præstantissimus. De alueolo lusorio exemplum est apud Ciceronem de Finib. V. Quinetiam inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia præditos, uidemus tamen & animo, & corpore moueri semper: & cum re nulla impediuntur necessaria, aut alueolum poscere: aut quærere quempiam ludum: aut sermonem aliquem requirere: cumq; non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos, & semicirculos consectari. G V R G E S. Gurgis locus est in flumine profundus, in quo aqua uertitur: uel dicitur omnis aquarum congeries. Ponitur quoq; à poëtis pro ipso mari aliquando. Cic. de Arusp. Respō. Quæ unquam Charybdis tantos haurire gurgites posset, quantas iste Byzantium prædas exorbuit? Idem in Pisonē: Si mihi nūquàm amicus C. Cæsar fuisset, sed semper iratus: si aspernaretur amicitiam meam, seseq; mihi implacabilem, inexpia

inexpiabilemque præberet : tamen ei, cum tantas res
 gessisset, gereretque quotidie, non amicus esse non pos-
 sem : cuius ego imperio non Alpium uallum contra
 ascensum, transgressionemque Gallorum, non Rheni
 fossam gurgitibus illis redundantem, Germanorum
 immanissimis gentibus obijcio, & oppono. Idem de
 Natura Deorum: Rapido cum gurgite flumē. Idem
 de Diuinat. Fugiēs è gurgite ponti. Verg. Aeneid. I.

Apparent rari nantes in gurgite uasto. TRANSLATE

LATE AD MULTA CONVERTITUR. *Translatè po-*

Cicero in Verrem Act. V. Is erat Apronius ille, qui,

situs.

ut ipse non solum uita, sed etiam corpore, atque ore

significat, immensa aliqua uorago est, aut gurges uis-

tiorum, turpitudinumque omnium. Idem pro Domo

sua : Ille gurges helluatus est simul tecum Reipubl.

sanguinem. Idem in Pisonem : Ille gurges, atque hel-

luo natus abdomini suo, non laudi, atque gloriae.

Idem pro Sestio: Gurges, uorago patrimonij. Idem

Philipp. X I. Habet secum Lucium fratrem : quem

gurgitem : quam uoraginem : INGURGITA-

Ingurgitare.

RE. Ingurgitare à gurgite est. De quo uerbo quo-

niam satis copiosè primo Tomo scripsimus, nihil

hìc repetemus. VORAGO. Vorago est gurges.

Vorago.

Cic. de Diuinat. I. Facta coniectura etiam Dionysio

est paulò antè, quàm regnare coepit: qui, cum per

agrum Leontinum iter faciens, equum ipse dimisis-

set in flumen, submersus equus uoraginibus non ex-

titit : quem cum maxima contentione non potuisset

extrahe

*Translatus gur
gitis usus.*

Vortex.

extrahere, discessit. TRANSLATE AD multa conuertitur, ut gurges : atq; adeò nōnulla in translatis gurgitis exemplis translata uoraginis exempla inuenies : tanta est inter has uoces affinitas. Cicero in Pisonem: Vos geminæ uoragines, scopulicq; Reipub. Idem in Sallustium: Eius partis erat exemplar Sallustius : quò tanquam in unam uoraginem cœtus omnium uitiorum excefferat. Idem de Oratore III. Deinde uidendum est, ne longè simile sit ductum : Syrtim patrimonij, scopulum libentius dixerim: Charybdim bonorū, uoraginem potius. VORTEX. Vorticem Quintilianus lib. VIII. docet esse contortam in se, aquam. Vergilius : Ingens à uortice pontus.

O R I R I.

VT proximæ dictiones fluuijs, fluminibusq; coueniunt : sic quoq; proprium est fluuiorum, fluminumq; hoc uerbum. Dicitur enim fluuius, flumenq; oriri illic, unde primum fluit.

Cæsar de Bell. Gall. lib. IIII. Rhenus oritur ex Lepontijs, qui Alpes incolunt : & longo spatio per fines Nantuatum, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Tribotorum, Treuirorum citatus fertur.

M A N A R E.

MANARE ad aquam, & ad mores refertur: ponit

poniturꝑ pro fluere, uel defluere. Sic, manat fons, fluuius, uel flumē, unde fons, fluuius, & flumen ortum est. TRANSLATE ponitur pro defluere, uel descendere. Et tunc dicitur manare, quod non satis solidum per minutissimas partes stillat. Res, quæ manat, quandoque in nominatiuo ponitur: quandoque in accusatiuo: quandoque in ablatiui. IN NOMINATIUIO. Cicero in Catilinam: Latius opinione disseminatum est hoc malum: manauit nō solum per Italiam, sed etiam transcendit Alpes. Ibidem: Quæ ressecanda erunt, non patiar ad ciuitatis perniciē manare: id est, ut manent. Idem pro Cluen. Manarat sermo in concilio. Idem pro Planc. Aliquid sine capite manare, & eius autorem non exterre. Idem de Oratore: Ab Aristippo Cyrenaica philosophia manauit. Ibidem: A capite, quod uelimus, arcescere, & unde omnia manant, uidere. Idem in Offic. Omnis honestas manat à partibus quatuor. Ibidem: Ex quibus honestas, officiumꝑ manaret. Ibidem: Contagiones malorum, quæ à Lacedæmonijs profecta, manarunt latius. Idem in Tusc. Idꝑ eorum nomen usꝑ ad Pythagorę manauit ætatem. Ibidem: Manare, & fundi per omnes partes. Idem de Natura Deor. Multa à luna manant, & fluunt, quibus animantes alantur, & augescant, & pubescant. Ibidem: Quæ matura fluunt, atque manant. CVM ACCUSATIUIO. Plin. lib. XIII. Arborum succo manātium picem, resinamꝑ, alię ortæ

d

in Ori

in Oriente, aliæ in Europa feruntur. CVM ABLATIVO. Cicero de Diuinat. I. Quid? Lacedæmonijs paulò ante Leutricam calamitatem quæ significatio facta est, cum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisq; simulachrum multo sudore manauit? Titus Liu. ab Vrbe Cond. I. Cultrũ ex uulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ se tenens.

Emanare.

EMANARE. Emanandi significatio satis primo Tomo ostensa est. Eam igitur hinc non repetam. DIMANARE.

Dimanare.

DIMANARE. Dimanare est profluere: quo uerbo ita translate usus est Cicero in Oratione pro Cælio: Meus hic forensis labor, uitæq; ratio dimanauit ad existimationem hominum paulò latius commendatione, ac iudicio meorum. PERMANARE.

Permanare.

Propria permanendi significatio uulgaris est. Cicero pro Cluētio: Iam uerò illud quàm nõ probabile? quàm inusitatum iudices? quàm nouum? in pane datum uenenum facilius ne potuit, quàm in poculo: latius potuit abditum aliqua in parte panis, quàm si totũ colliquefactum in potione esset? celerius potuit concretũ, quàm epotum, in uenas, atq; in omnes partes corporis permanare? TRANSLATVM uerò

Translate positum.

usum maximè elegantem habet, & ponitur pro peruenire: Aliquando etiã pro euulgari. Cic. pro Rosc. Amer. Sic se res habet iudices: magnam uim, magnã necessitatem, magnam possidet religionẽ paternus, maternusq; sanguis. ex quo si qua macula cõcepta est, non modò elui non potest, uerũ usque eò per-

manat

manat ad animū, ut summus furor, atq; amētia consequatur. Idem pro Domo sua: Effluunt multa ex uestra disciplina, quæ ad nostras aures sepe permanāt. Idem pro Cornel. Bal. Vt aliqui sermones inuidorum etiam ad uestras aures permanarent, & in iudicio ipso redundarent. Idem de Orat. II. Principia, & ceterę partes orationis, de quibus paulò post pauca dicemus, habere hęc uim magnopere debēt, ut ad eorum mentes, apud quos agitur, mouendas permanare possint. Idem in Tuscul. Conclufiuncule ad sensus non permanantes. Idem de Finibus: Natura omnis appetendarum rerum ita latè patet, ut à principijs permanet ad fines. Idem de Natura Deor. I. Non est, quod ab his ad hominum uitam permanare possit.

STILLARE.

STILLARE est guttatim fluere: uel guttatim emittere. Cicero Philipp. II. Ille, qui stillantem præ se pugionem tulit, is à te honoris causa nominatur. Martialis: Viuebant laceris membri stillantibus artus. Plinius: Frutex est resina stillans. DISTILLARE. Distillare est in unum fluere. Vergilius Georgicor. III. Lentum distillat ab inguine uirus. STILLA. Stilla (inquit Festus) diminutiuum est à stiria: accipiturq; pro gutta siue aquæ, siue rei cuiuslibet fluentis, aut liquidè cadentis: ut stilla olei, stilla muriæ. Cicer. de Finibus lib. III. Vt obscuratur, & offun

Distillare.

Stilla.

offunditur luce solis, lumen lucernæ; & ut interit magnitudine maris Aegæi, stilla muricæ; & ut in diuitijs Croesi, teruntij accessio: sic, cùm sit is bonorũ finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore harum æstimatio splendore uirtutis, & magnitudine obscuretur, & obruatur, atque intereat necesse est. Vitruuius libro II. Per id stillæ decidunt in impluuium, Martialis: Atq; olei stillam donaret Opellius unctor. **STILLICIDIUM.** Stillicidium est, per quod stillæ cadunt. Cic. de Orat. I. Parietum, luminum, & stillicidiorum iura. Idem in Orat. Quàm indecorum est, de stillicidijs cùm apud unum iudicem dicas, amplius imis uerbis, & locis uti communibus: de maiestate Populi Romani summissè, & subtiliter: Idẽ in Topic. Esse ea dico, quæ cerni, tangi uel possunt: ut fundum, ædes, parietem, stillicidium.

Stillicidium.

F L V E R E.

FLVERE est manare, uel labi. Quod ponitur uel propriè, uel translattè.

PROPRIÈ POSITVM.

Cicero de Inuentione II. Tum subito magnis cõmotus tẽpestatibus fluuius Eurotas is, qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus, & uehemẽs factus est, ut eò traduci uictimæ nullo modo possent.

Idem de Diuinatione I. Flumina in cõtrarias partes fluxerunt.

Ibidẽ: Quid quòd fluuius atratus sanguine fluxit? Cæsar de Bello Gall, lib. I. Alterum iter erat per

prouinciam nostram multo facilius, atque expedi-
tius, propterea quòd inter fines Heluetiorum, & Al-
lobrogum Rhodanus fluit, isq; nonnullis locis uas-
do transitur.

Idem de Bello Ciuil. lib. 111. Biduo moratus est
ad flumē, quod inter eū, & Domitiij castra fluebat.

TRANSLATE POSITVM.

C V M translate ponitur hoc uerbum, uarijs si-
gnificationibus usurpatur. Modò enim pro emana-
re: modò pro latius, atque uberius crescere: modò
pro dilabi, excidere, atque interire: modò pro col-
liquefcere sumitur. Quam significationum uarieta-
tem facile per te in exemplis sequentibus depræ-
hendes.

Cicero ad Atticum I X. Videamus, illius consi-
lia quorsum fluant.

Idem pro Murena: Excident gladij, fluent arma
de manibus.

Idem pro Marcell. Omnia, quæ delapsa iam flu-
xerunt, seueris legibus uincienda sunt.

Idem in Pison. Erant illi compti capilli, & ma-
dentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes, pulsataeq;
buccæ, dignæ Capua. Pulsatas buccas habet & Al-

*Locus Cicer. res-
stitutus.*

stellula deformatum, uelut Ciceronis locum uitio-
sum, mēdosumq; indicans. Sed uitiosum nullo mo-
do uideo, nisi ob pulsatas buccas addita sit stellula:
quam sustulit Andreas Nauagerius uir doctissi-

*Andreas Naua-
gerius.*

d ; mus,

mus, & multi in Ciceronis lectione iudicij, repositis cerusatis buccas, pro pulsatis. Quæ lectio uerior, & certior doctis uideri potest.

Idem de Orat. Gallus pictus eiecta lingua, buccis fluentibus.

Ibidem: Ne fluat, ne uagetur oratio.

Idem in Bruto: A' Cotta, & Sulpitio hæc omnis fluxit oratio.

Ibidem: Oratio ita liberè fluebat, ut nusquam adhæresceret.

Idem in Orat. Tracta quædam, & fluens oratio,

Ibidem: Cætera fluere, labi, nec diutius esse uno, & eodem statu.

Idem Off. I. Atque etiam in rebus prosperis, & ad uoluntatem nostram fluentibus superbiam magno pere, fastidium, arrogantiamque fugiamus.

Idem de Senect. Ex Nestoris lingua melle dulcior fluebat oratio.

Idem in Tusc. Pythagoræ autem disciplina, cum longè, lateque flueret, permanasse mihi uidetur in hæc ciuitatem.

Ibidem: Cum uoluptate liquecimus, fluimusque mollitia.

Idem de Finib. Ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum & malorum.

Ibidem: Fluit igitur uoluptas corporis: id est, labitur, & præterit.

Idem de Nat. Deor. Multum sermonem de libris nostris

nostris fluxisse uideo.

Ibidem : Hæc omnia ex eodem fonte fluxerunt.

Ibidem : Ne illud quidem est, hæc unde fluxerūt,

Vergilius Aeneid. II.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri

Spes Danaûin.

F L V X I O.

Cicero de Diuinat. I. Horum sunt auguria non diuini impetus, sed rationis humanæ. Nam & natura futura præsentiant: ut aquarum fluxiones, ut de flagrationem futuram aliquando cœli, atq; terrarum.

F L V X V S.

F L V X V S aliquando pro largo, & minime astricto ponitur. Lucanus: Illis & laxas uestes, & fluxa uirorum Velamenta uides. Aliquando fluxi dicuntur libidinosi, molles, & effœminati. Sueton. in Tib. Drusus animi fluxioris, remissiorisq; uitæ erat. S A E P I V S uerò fluxa dicimus, momentanea, instabilia, & citò peritura.

Fluxi diuersa significatio.

Cicero ad Brut. Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Cæsare repræhenderes: nonnulla in Hircio huius belli fortuna, ut in secundis fluxa, ut in aduersis bona.

Sallust. in Catil. Diuitiarum, & formæ gloriæ fluxa, & fragilis habetur.

Plautus in Capt. Fac fidelis sis fideli; caue fidem fluxam

fluxam geras.

Vergilius:

Nos tibi nec fluxas Phrygiæ res uertere fundo
Conamur.

F L V I T A R E.

FLVITARE frequentatiuum est à fluo. Et significat sæpe, uel continuè fluere: aut supernatare.

Cicero pro Sestio: Cùm in hanc Reipub. nauem, ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestatibus seditionum, ac discordiarum armatæ tot classes incursuræ uiderentur, &c.

Titus Liuius ab Vrbe Cond. lib. 1. Tenet fama, cùm fluitantem alueum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerilem uagitum cursum flexisse.

Plinius: Omnes pisces, cùm sunt extincti, fluitant, exceptis anguillis.

D E F L V E R E.

DEFLVERE aqua dicitur, quæ in imum fluit. Cicer. in Top. Quæ extrinsecus assumuntur, ea maxime ex autoritate ducuntur. Itaque Græci tales argumentationes ἀτ'χως uocant: id est, artis expertes: ut si ita respondeas: Quoniam P. Scæuola id solum esse ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis tegēdi causa tectum proijceretur, ex quo in tectum eius, ædes qui protexisset, aqua deflueret,
id tibi

id tibi ius uideri. Horat. in Epist. Rusticus expectat, dū defluat amnis: at ille Labitur, & labetur in omne uolubilis æuum. EXTRA PROPRIAM SIGNIFICATIONEM ad multa eleganter detorquetur, ut sequentia exempla demonstrabunt.

TRANSLATE POSITVM.

TRANSLATA defluendi significatio huiusmodi est, ut uel transitionem, & accessionem habeat: uel amissionis speciem.

Cicero Famil. I X. Vbi salutatio defluxit, literis me inuoluo: aut scribo, aut lego.

Idem pro Sestio: Ex octo Tribunis Pleb, quos habueram, unus me absente defluxit.

Idem in Orat. Hoc totum è sophistarum fontibus defluxit in forum.

Idem de Amicit. Neque enim uerendum est, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat.

Ibidem: Defluxit oratio ad leues amicitias.

Idem in Tusculan. A quibus mansuefacti, & exculti ad elegantiora defluximus.

Ibidem: Iam ipsæ defluebant coronæ.

Sallustius in Iugurth. Sin captus prauis cupidinibus, ad inertiam, & uoluptates corporis pessundatus est, pernitiōsa libidine paulisper usus, ubi per sordiam uires, tempus, ætas, ingenium defluxere, naturæ infirmitas accusatur: suam quicq; culpam autores ad negocia transferunt.

e Defluus,

DEFLEVVS, a, um;
uel Defluuium.

In quosdam stultè morosos in uocibus recipiendis.

NOMINA ista sunt, quæ uix apud Ciceronē, aut alium quemuis absoluti linguæ Latinæ seculi autorem reperias. Attamen quoniã his utitur Plinius, non omnino reiicienda putauī. Etenim in eam inepti fastidij, morositatisq; opinionem uenire nolim, ob quam nouitios quosdam, & iuuenes magis: id est, rudes, quàm iudicio confirmato, exactoq; laudabiles, rideri tum ab Erasmo Roterodamo, tum ab alijs plerisque uideo: nimirum qui dictiones omnes repudient, quæ apud Ciceronem non inueniantur. Ab hac opinione longè, multumq; alienus, & linguæ Latinæ diuitiarum amans, ea probare non uereor, quæ neque barbãra sunt, neque duriuscula: tametsi non ijs usus sit Cicero, nempe ijs non indigens, neque, in quod ea caderent, scribens. Hac uocũ ubertate quàm opus sit, nouerunt, qui historiæ scribendæ student, & in rerum narratione uersantur. Neque uerò in hoc posita est styli uel elegantia, uel lenitas, uel sublimitas, ut te tam morosum in uocibus recipiendis præbeas. Alia fanè uia styli Ciceroniani laus, gloriaq; quærenda est: quam quoniam nouerunt pauci, in eo, quod leuissimum est, discruciantur multi. At iam ad exempla uenio. Plinius libro XX. Hyppocrates mulierũ capillos defluos fricari raphanis iubet. Idem: Defluuia comarum face
re dici

re dicitur.

EFFLVERE.

OMNES effluendi significationes tam distincto ordine primo Tomo ob oculos posuimus, ut nihil hîc desiderandum sit, quod ad istius uerbi tradendum usum modo ullo pertineat. Tu igitur ad primum Commentariorum Tomum accedito.

PROFLVERE.

PROFLVERE de aqua dicitur. Et est deorsum, siue à longe fluere, uel dimanare.

Cicero de Diuinatione I. Si lacus emissus lapsu, & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum Populo Romano fore.

Cæsar de Bello Gall. lib. IIII. Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum.

Idem de Bello Ciu. lib. I. Accidit repentinum incommodum biduo, quo hæc gesta sunt: tanta enim tempestas cooritur, ut nunquam illis locis maiores aquas fuisse constaret: tum autem ex omnibus montibus nix profluit, &c.

TRANSLATE POSITVM.

Cicero pro Cæl. Ego ab his fontibus profluxi ad hominum famam.

Idem ad Herenn. IIII. Cuius ore sermo melle dulcior profluebat.

PROFLVENS.

HANC uocem ideo à sui uerbi exemplis separauimus,

e z

uimus,

uimus, quod nō nihil uarietatis habet. Ponitur enim cum substantiuo; uel sine substantiuo.

CVM SUBSTANTIVO.

Cicero ad Q. frat. Aquam profluentem, & eam uberem uidi multis locis.

Idem Offic. I. Ex quo sunt illa communia; non prohibere aquam profluentem; pati ab igne ignem capere.

Titus Liuius ab Vrbe Cond. libro I. Pueros in profluentem aquam mitti iubet.

SINE SUBSTANTIVO.

Cicero ad Herenn. I. Qui parentem necasse iudicatus erit, is obuolutus, & obligatus corio deniciatur in profluentem.

Idem de Inuent. libro II. Deinde est in carcerem deductus, ut ibi tantisper esset, dum culeus, in quem coniectus in profluentē deferretur, compararetur.

TRANSLATE POSITVM.

Cicero de Orat. II. Genus sermonis affert non liquidum, non fustum, ac profluens, sed exile, aridum, concisum, ac minutum.

Idem de Orat. III. Si rudis, & indocta putanda est illa sine interuallis loquacitas perennis, & profluens, quid est aliud causæ, cur repudietur, nisi quod hominum aures uocem natura modulantur ipsa?

Idem in Brut. Orator uiuis eius æqualibus proximus optimis numerabatur propter uerborum bonitatem, & expeditam, ac profluentem quodammodo cele

do celeritatem.

PROFLVENTIA, uel Profluuium,

Cicero in Part. Lenitatem mollitia animi, & uer-
recundiam timiditas, & illam disputandi prudentiã
concertatio, captatioq; uerborum, & hanc oratoriã
uim inanis quãdam profluentia loquendi imitatur.

Plin. lib. XXVI. Sanguinis profluuium sistit
herbæ Pæoniæ semen rubrum.

PROFLVENTER.

Cicero Tuscul. V. Sequitur, ut nihil pœniteat: ut
nihil desit, nihil obstet. ergo omnia profluenter, ab-
solutè, prosperè.

INFLVERE.

INFLVERE est illabi, uel introfluere: quod
non solum de aqua dicitur, sed etiam de omni re li-
quida.

Cicero Tuscul. I. Apud Hypanim fluuium, qui
ab Europę parte in Pontum influit, Aristoteles ait
bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem uiuant.

Idem de Diuinationo. I. Multa oppida corruerunt:
multis locis labes facta est: terræq; desederunt: flu-
minaq; in contrarias partes fluxerunt: atque amnes
mare influxerunt. Hoc Ciceronis loco pro neutrali
actiuum est influere.

e 3 Idem

Idem de Natur. Deor. II. Quæ spiritu in pulmones anima ducitur, ea calefcit primùm ab illo spiritu: deinde coagitatione pulmonum: ex eacq; pars redditur respirando: pars concipitur cordis parte quadam, quam uentriculum cordis appellant: cui similis alter adiunctus est, in quem sanguis à iecore per uenam illam cauam influit.

Cæsar de Bell. Gallic. lib. I. A lacu Lemano, qui in flumen Rhodanum influit ad montem Iuram.

Ibidem: Flumen est Arar, quod per fines Heduarum, & Sequanorum in Rhodanum influit incredibile lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit.

Idem de Bell. Gallic. IIII. Tenchtheri magna cū multitudine hominum flumen Rhenum trāsierunt, non longè à mari, quò Rhenus influit.

Ibidem: Nō longè ab eo milibus passuū LXXX. in Oceanum influit.

Ibidem: Multis capitibus in Oceanum influit.

TRANSLATE POSITVM.

Cicero de Prouinc. Consul. Cuius diuina, atque eximia uirtus magnis Populi Romani luctibus, funeribusq; subuenit: influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit.

Idem de Orat. II. Ex illa lenitate ad hanc uim influat aliquid oportet.

Idem Offic. II. Vt in uniuersorum animos tanquam influere possimus.

Idem de Amicit. Quibus blanditijs C. Papirius

nuper influebat in aures concionis.

Idem de Legib. I I. Assentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atq; molles influere, quam uarios canendi sonos.

C O N F L U E R E.

C O N F L U E R E proprie de riuis, uel fluminibus dicitur, cum in unum locum illabuntur: Vt, Rhodanus confluit in Ararim: unde proprio quasi epitheto confluens Rhodanus appellatur. Locus ille est, in quo cum Arare Rhodanus immiscetur, proxime urbem Lugdunum ad ædem diui Laurentij: ubi nos aliquando, cum hos Commentarios Lugduni excudi curaremus, animi gratia natauimus. Literas enim, & natare scimus, si alius quisquam.

*Confluens
Rhodanus.*

Cicero de Legib. I I. Hoc rostro finditur Fibrenus: & diuisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideq; dilapsus cito in unum confluit.

Lepidus Cicero, famil. X. Cum audissem Antonium cum suis copijs præmisso L. Antonio cum parte equitatus in prouinciam meam uenire, cum exercitu meo à confluente Rhodano castra moui, ac contra eos uenire institui.

T R A N S L A T E P O S I T V M.

Q V A N Q V A M, ut ostendimus, proprie de riuis, & fluminibus dicitur hoc uerbum, ad alia tamen aliquando transfertur: & ponitur pro concurrere, uel conuenire.

Cicero in Verr. Act. V I. Portus habet propè in
ædifica

ædificatione, aspectuq; urbis inclusos: qui, cum diuersos inter se aditus habeant, in exitu coniunguntur, & confluunt.

Idem pro Planc. Causæ pleræq; ad nos confluunt.

Idem in Sallust. Nisi fortè in ea te castra coniecisti, quò omnis sentina Reipub. confluxerat.

Idem de Inuent. Hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit.

Idem in Bruto: Confluxerunt & Athenas, & in hanc urbem multi inquinatè loquentes ex diuersis locis.

Idem Tuscul. I. Quod accidet etiam nostris, si ad hæc studia plures confluxerint.

P R A E T E R F L V E R E.

P R A E T E R F L V I T Tholosam Garumna: præterfluit item Lutetiam Sequana. Sed ad alia nõn nunquam transfertur.

Cicero Tusc. V. Quocirca gaudet corpus, dum præsentem sentit uoluptatem: & animus præsentem percipit pariter cum corpore, & prospicit uenientè, nec præteritam præterfluere sinit.

I L L A B I.

I L L A B I est influere: quod sæpius translataè positum reperias, quàm propriè. Nos igitur de translatione exempla afferemus. Tu alia, scriptores legendo, annotato.

Cicer.

Cicero de Finib. I. Si ea sola uoluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, ut ita dicam, & ad eos cū suauitate afflueret, & illaberetur, nec manus esse contenta posset illa uacuitate doloris sine iucūdo motu uoluptatis.

Idem de Natur. Deor. II. In stomachum primò illabuntur ea, quæ accepta sunt ore.

Idem de Legib. II. Grauius olim ista uindicabat uetus illa Græcia, longè prouidēs, quàm sensim pernicies illapsa ciuium animos malis studijs, malisq; doctrinis repente totas ciuitates euerteret.

P R A E T E R L A B I.

P R A E T E R L A B I, ut illabi, ad rem fluuialem referri potest: ut, Liger Aureliam præterlabitur: uel, Rhodanus Lugdunum præterlabitur. Transfertur uerò nonnunquam, ut illabi.

Cic. de Orat. II. Definitio primùm repræhenso uerbo uno, aut addito, aut dempto sæpe extorqueatur è manibus: deinde genere ipso doctrinam redollet, exercitationemq; penè puerilem: tum & in sensum, & in mentem iudicis intrare non potest. Antè enim præterlabitur, quàm percepta est.

A L L V E R E.

A L L V E R E est iuxtà fluere. Cic. in Verr. Act. VII. Non alluuntur à mari moenia extrema, sed inluit in urbis sinum portus. Idem pro Flacco: Quæ
f ciuitas

ciuitas tam procul à Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguaꝗ diuisa, cùm in ultimis terris cincta Gallorum gentibus barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatũ consilio gubernatur, ut omnes eius instituta laudare facilius possint, quàm æmulari. Idem in Oratore: Ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluantur. Idem de Legib. I I. Fluuius diuisus latera insule alluit. Cæsar de Bel. Ciuili lib. I I. Masilia ferè ex tribus oppidi partibus mari alluitur. Q. Curt. Montẽ leniter alluit præteriẽs amnis. A L L V

Alluio.

V I O. Alluio pro immoderata aquarum uiolentia uel fluuialium, uel pluuiarium, similiumꝗ ponitur: quæ nõ tantum agros confundit, sed quandoꝗ eripit, & nonnunquam funditus destruit. Sed cùm pars alicuius agri impetu fluminis aggregatur in alium agrum, tunc cedit in possessionẽ eius, cuius est ager.

Circunluuio.

Vnde Lucanus: Illos terra fugit dominos: his rura colonis Accedunt donante Pado. Cic. de Orat. I. Alluionum, & circunluuionũ iura. C I R C V N L V V I O. Circunluuio est, cùm partem alicuius agri rapidus amnis in alueum suum impulerit: & in modum insule circunvoluitur, iureꝗ uicinioris est. A L L V

Alluies.

V I E S. Alluies pro fordida aqua poni uolunt, quæ alluit, ubi lutum cum aqua non multa. Tit. Liu. ab Urb. Cond. lib. I. In proxima alluie, ubi nunc ficus Ruminalis est, quam Romularem uocatam ferunt,

Subluere.

pueros exponunt. S V B L V E R E. Subluere est subtus fluere. Cæsar de Bello Gall. lib. V I I. Ipsum erat

oppidum

oppidum in colle summo admodum edito loco, ut nisi obsidione expugnari non posse uideretur: cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina subleuebant. Columella pro subtus lauare posuit libro VII. his uerbis: In tergo bis in die subluitur aqua calida: mox decocto agrico, & sale, cum adipe defricatur, dum saniei uis emanat. **SUBLUVIES.** *Subluuies.*

Subluuies aliquando pro fordibus, & immundicijs ponitur. Aliquādo uerò est genus morbi in discrimine ungułæ ouium nascens. Columella libro VII. cap. v. Clauis quoque dupliciter infestant ouem: siue cum subluuies, atque intertrigo in ipso discrimine ungułæ nascitur: seu cum idem locus tuberculum habet, cuius media ferè parte canino similis extat pilus, eiq; subest uermiculus. **PROLVERE.** *Proluere.*

Proluere est multum, uel multo tempore lauare. Columella libro II. Impetus aquarum proluit terram, nudatisque radicibus germina non patitur coalescere. Plautus in Curcul. Agè, effunde hoc citò in barathrū, proluere cloacam. Persius: Nec fonte labra prolui Caballino. **PROLVVIVM.** *Proluuium.*

Proluuium translatè pro profusione, & prodigalitate accipitur, cum quis more aquæ opes profundit. Terent. in Adelphis: Quid isthuc? quæ res tam repētè mores immutauit tuos? quod proluuium? quæ isthæc subita est largitas? **PROLVVIES.** *Proluuius.*

Proluuius pro immunditie, & abundantia cuiuscumque rei sordidæ poni solet. Cicero ad Quint. frat. Romæ, & maximè Appia ad

Martis ædem mira proluuies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernę plurimę: magna uis aquę usque ad piscinã publicã. Hoc Ciceronis loco proluuies sine immunditie potest intelligi, & pro aquarum redundantia poni, uel potius pro pluuiã mira: id est, maxima. Vergilius Aeneid. III. Fœdissima

illuuius. uentris Proluuius. ILLUVIES. Illuuius est etiam immunditia in homine, aut ueste, aut re quauis alia infita, atque iniecta. Cicero Tuscul. III. Infuscat pectus illuuię scabrum. Terentius in Heautontim. Ea texebat unã pannis obsita, neglecta, immunda illuuię. Vergilius libro III. Dira illuuius, immissaq; barba. COLLUVIES. Colluuius est fordes cœni, aut cuiusuis rei coactę. Columella libro I. Tum etiam nantium, serpētumq; pestes hyberna destitutas uligine, cœno, & fermentata colluuię uenenatas emittit. TRANSLATE sicutitur Cic. ad Att. IX. Te in certamine uinci cum illo facilius patiaris, q̄ cū hoc in ea, quę perspicitur, futura colluuię regnare. COLLUVIO. Colluuius idem est, quod colluuius: qua uoce sæpe utuntur translate Latini. Cicero de Arusp. Respons. Nisi fortẽ existimatis hanc tantam colluuiõnem illi, tantamq; euerõsionem ciuitatis, in mentem subito in rostris nec cogitanti uenire potuisse. Idem pro Sestio: At ille nefarius ex omnium scelerũ colluuiõne natus, parum se foedus uiolaturũ arbitratus, nisi ipsum cautorẽ alieni periculi, suis proprijs periculis terruisset, &c. Idem in Vastinium;

Cum translatione.

Colluuius.

tinium: Leges, quæ in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluione Drusi uixerunt, solus conculcasti, & pro nihilo putasti. Idem de Senectute: O præclarum diem, cum in illud animorum concilium, coetumque proficiscar, & cum ex hac turba, & colluione discedam.

ELVERE. Eluere est lauando purgare. Plautus in Capt. Iuben', an non iubes astitui aulas? patinas elui? Idem in Pseud. Tu argentum eluito, atque id extruito. Columella: Villica debet curam adhibere, ut, si quæ feces, aut amurcæ in fundis uasorum subsederint semel, statim emundentur, & non calidissima lixiuia, ne uasa ceram remittant, semel, atque iterum eluantur.

Eluere:

TRANSLATE ALIQUANDO PONITVR. Cicero pro Sestio: Atque etiam hoc uidebat, quoniam illa in Rep. macula regni publicati maneret, quam nemo iam posset eluere, quod ex malis bonum possit in Repub. peruenire, id utilius esse per se conseruari, quam per alios. Idem Philipp. I. Ut quisque sordidissimus uidebitur, ita libentissimè seueritate iudicandi fordes suas eluet. Idem Philipp. XII. Centurionum legionis Martiæ Brundusij profusus sanguis eluatur, num elui prædicatio crudelitatis poterit?

Translate positum.

ELVVIES. Eluuius propriè dicitur, quod expurgatur, maximè aquarum fluxu: quanquam & alius humoris dici possit. Plinius: Quod in tutis notatur oppidis, quæ minus quatiuntur crebris ad eluuiem cuniculis cauata.

Eluuius.

CVM TRANSLATIONE

Cum translatione.

NE aliquando in oratione ponitur. Cicero pro Do-
mo sua: An quicquam iure gestum uideri potest,
quod per uim gestum esse constet? an si in ipsa latio-
ne tua capta iam urbe lapides iacti, si manus collata
non est, idcirco tu ad illam labem, atque eluuiem ci-
uitatis sine summa ui peruenire potuisti? ELUVVIO.
Eluuiio. Eluuiio magis omnino delet, quàm expurgat. Cicer.
Offic. II. Est Dicæarchi liber de interitu hominum,
Peripatetici magni, & copiosi: qui collectis cæteris
causis eluuiionis, pestilentia, uastitatis, belluarum
etiam repentinae multitudinis, quarum impetu do-
cet quædam hominum genera esse consumpta: de-
inde comparat, quanto plures deleti sunt homines
hominū impetu: id est, bellis, aut seditionibus, quàm
omni reliqua calamitate. Idem in Somnio Scipionis:
Quinetiam si cupiat proles illa futurorum hominū
deinceps laudes uniuscuiusque nostrum à patribus
acceptas posteris prodere, tamē propter elutiones,
exustionesq; terrarum, quas accidere tempore certo
necesse est, non modò non æternam, sed ne diutur-
Diluere. nam quidem gloriam assequi possumus. DILVERE.
RE. Diluere aliquando translata cum maxima ele-
gantia ponitur pro confutare: uel confutando ad in-
terrogata respondere: de qua translata significatio-
ne suo loco scribemus. Hic uerò propriè positum
est: & significat aquam, uel alium liquorem miscere:
uel lauare, aut purgare. Vergil. Cui tu lacte fauos,
& miti dilue Baccho, Persius, Diluis eleborum di-
xit, pro

xit, pro eo quod est, medicamentis temperas. Plaut. in Pseud. Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum: eo laserpitiij libram pondo diluunt, **DILVVS** *Dilutus.* **TVS.** Dilutum dicitur, quod est mixtum: unde uinum aqua mixtum dicitur dilutum. Martialis: Diluti bibis unciam falerni. **DILVTVS COLOR** *Dilutus color.* appellatur, cum, ueluti aqua adhibita, minus est intensus. Aulus Gell. Luteus color rufus est dilutior. **DILVTVM, TI.** Dilutum sic substantiuum in *Dilutum, ti.* neutro genere factum, est id liquidum, in quo aliquid certo tempore infusum fuit: ut si in uas uini appositum absynthium fuerit, deinde post interiectum tempus, abstractum, id uinum, absynthij dilutum dicitur. Plinius: Bibitur & madefacti absynthij dilutum. Ita enim appellatur hoc genus. **DILVVIES.** *Diluuies.* Diluuies dicitur, quando scilicet immodicis imbribus uel uexatur terra, uel obruitur. Lucretius lib. VI. Pars etiam glebarum ad diluuiem reuocatur Imbribus. Horatius lib. IIII. Carminum: Horrendamque cultis diluuiem minitatur agris. **DILVVIVM.** *Diluuium.* Diluuium proprie inundationem esse uolunt. Plin. in Epist. Hic assiduæ tempestates, & crebra diluuia: Tiberis alueum excessit, & demissioribus ripis alte superfunditur, &c. Metaphoricè dixit Vergil. euerisionem Troiæ diluuium: in illo uersu: Diluuio ex illo diuersa per æquora uecti. Idem libro Aeneid. XII. aliquanto magis proprie usus est hoc nomine. Non si tellurem (inquit) effundat in undas, Diluuio

luuio miscens, coelum'ue in tartara soluat, &c.

O S T I V M.

NON de ostij significatione hîc agitur, quæ ualeuarum est: sed totum ad rem fluuialem pertinet. Et dicuntur ostia fluuiorum patentes aditus. Quod nomen etiam aliquando pro portu ponitur. Hæc autē significatio non propria, sed translata est. Neq; uerò in fluuijs, aut fluminibus tantum uersatur: sed in re maritima etiam sæpe.

Cicero in Verrem Actio. v l. Ea tanta est urbs, ut ex quatuor urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea, quam dixi, Insula: quæ duobus portibus cincta, in utriusque portus ostium, aditumq; proiecta est.

Idem pro lege Manilia: Prò dij immortales, tantane unius hominis incredibilis, ac diuina uirtus, tam breui tempore lucem adferre Reipub. potuit, ut uos, qui modò ante ostium Tiberinum classem hostium uidebatis, nunc nullam intra Oceani ostium prædonum nauem esse audiatis?

Idem Philip. I l. Hanc rem in Ciliciam ad ostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quã constituerat, non ad contrariam naues applicuisset.

Cæsar de Bello Ciuil. lib. I l. Altera turris erat ad partem, qua est aditus ex Gallia, atque Hispania ad id mare, quod adigit ad ostium Rhodani.

Idem de Bell. Alexand. lib. I I I l. Erant omnibus

ostijs

Ostijis Nili custodię exigēdi portorij causa dispositę.

Titus Liu. de Bello Pun. Huic alę equitum missi ab ostio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt.

Vergilius.

Italiam contra, Tiberinacę longę Ostia.

Idem; Aut portū tenet, aut pleno subit ostia uelo.

P O N S.

PONS ex ijs est, quę ad fluuialia pertinent. Ponte enim in fluminibus transeundis utimur. De ponte igitur scribam, priusquã ad rem maritimam ueniam. Pons autem generatim significat omne, per quod super aquas transimus. Vnde & pro scala nauium quandoque ponitur. Vergilius: Interea Aeneas focios de puppibus altis Pontibus exponit. Sit ea igitur pontis significatio. Exēpla nunc sequuntur.

Cicero pro Roscio Amer. Sexagenarij, more maiorum, de ponte in Tiberim deijciebantur.

Idem in Verr. Act. v i. Eorum cōiunctione pars oppidi, quę appellatur Insula, mari disiuncta angusto, ponte rursus adiungitur, & continetur.

Idem in Catilin. Cū ad uesperasceret, occultē ad pontem Miluium peruenerunt.

Cæsar de Bello Gall, lib. i. Ex eo oppido pons ad Heluetios pertinet.

Idem de Bello Gall, lib. v i i i. Repentē ex eo loco cum copijs recedit, nec se satis tutum fore arbitrat, nisi flumen Ligerim, quod erat ponte propter

g magnit

magnitudinem constratum, copias traduxisset.

Pontem facere, uel efficere.

Cicero in Vatin. Fecisti ante rostra pontem continuatis Tribunalibus.

Idem de Legibus: Pontes etiam lex Maria fecit angustos.

Planc. Cicer. famil. X. Itaque pridie Nonas Iunias omnes copias Isaram traieci, pontesque, quos feceram, interrumpi, ut spatium & ad se colligendum homines haberent, & ego interea me cum collega coniungerem.

Cæsar de Bello Gallic. lib. I. Pontem in Arare faciendum curat, atque ita exercitum traducit.

Idem de Bello Gallic. lib. IIII. Itaque etsi summa difficultas faciendi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis, tamen id sibi contendendum, aut aliter non traducendum exercitum existimabat.

Idem de Bello Gall. lib. VII. Cum uterque utriusque esset exercitui in conspectu, fereque e regione castris castra poneret, dispositis exploratoribus, necubi effecto ponte Romani copias traducerent, erat in magnis difficultatibus Cæsaris res, &c.

Pontem interrumpere.

Cæsar de Bello Gallic. lib. VII. Quare cognita, Vercingetorix interruptis eius fluminis pontibus, ab altera Ligeris parte iter facere coepit.

Idem de Bello Ciuil. lib. I. Pons, qui fuerat tempestate interruptus, penè erat reffectus.

Aliud

Aliud exemplum Planci uide supra, in pontem facere.

Pontem interscindere, uel rescindere.

Cicero de Legib. I I. Nec quia nusquam erat scriptum, ut cōtra omnes hostium copias in ponte unus assisteret, à tergoq̄ pontem interscindi iuberet, idcirco minus Coclitē illum rem gessisse tantam, fortitudinis lege, atq̄ imperio putabimus.

Cæsar de Bello Gallic. lib. I. Pontem, qui erat ad Geneuam, iubet rescindi.

Idem de Bello Gallico lib. VII. Itaq̄ ne id accideret, syluestri loco castris positus, è regione unius eorum pontium, quos Vercingetorix rescindendos curauerat, postridie cum duabus legionibus in occulto restitit.

Pontem disturbare.

Cicero ad Herenn. I. Cepio, ut illum contra S. C. intercedentibus collegis aduersus Remp. uidit ferre, cum uiris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deijcit, &c.

Pontem reficere.

Cæsar de Bello Gallic. lib. VII. Iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere coepit.

Ponticulus.

Cicero ad Q. frat. Sum ipse mensus ab eo ponticulo, qui est ad Furninæ Satricum uersus.

Idem Tusc. V. Cū fossam latam cubiculari le-

g 2

cto circ

cto circumdedisset, eiusque fossæ transitum ponticulo ligneo coniunxisset, eum ipsum, cum fores cubiculi clauserat, detorquebat.

M A R E.

N V N C à fluuijs, & fluuiialibus ad mare transitus. Maris autem significatio uulgarior est, quàm quæ pluribus demonstrari debeat. Cicero pro Planco: Illæ undæ comitiorum, ut mare profundum, & immensum, sic efferuescunt cum quodã quasi æstu, ut ad alios accedant, ab alijs recedant. Idem pro Cluent. Vt mare, quod sua natura tranquillum sit, uentorum uí agitari, atque turbari solet, sic, &c. Idem in Pison. Cum mare uastissimum hyeme transibas. Idem: Mare magnum, & difficile tibi restat. Idem in Tuscul. Vnde terra, & quibus librata ponderibus, quibus cauernis maria sustineantur. Idem in Academic. Mare Fauonio nascente purpureum uidetur. Idem de Nat. Deor. I. An quicquam tam puerile dici potest, quàm si ea genera belluarum, quæ in Rubro mari, India uel gignantur, nulla esse dicamus? H O C N O M E N tametsi uulgare sit, attamen in eo quædam notare possumus, quæ doctrinæ laude non careant. Spiritus igitur paulum tollemus, & grauiora trademus. Itaque obseruabis, quod appellat sæpe Cicero mare inferum, intelligi Tyrrhenum, uel Tuscum. Quod uero uocat superum, tu quoque obserua Adrianum, uel Ionium designari. Ad Attic.

Mare inferum apud Cicer. id est, Tyrrhenum, uel Tuscum.

Mare superum: id est, Adrianum, uel Ionium.

Ad Attic. VIII. In ferro mari nobis incerto cursu hyeme maxima nauigandum est. Ibidem: Omnia mihi prouisa sunt præter occultum metum, iter ad mare superum. Hoc enim mari uti nõ possumus hoc tempore anni. Idem ad Attic. IX. Si cõmodius anni tempus esset, uel in ferro mari liceret uti; nunc nihil potest nisi supero transmitti; quod iter interclusum *Terra, mariq;* est. TERRA, MARIQVE. Hoc loquendi genere utuntur Latini, cum summam, maximamq; diligentiam in re aliqua quærenda, & inuestiganda adhiberi denotant. Vatinius Cicero. famil. V. Dicitur mihi tuus seruus Anagnostes fugitiuus Vardaci esse, de quo tu nihil mihi mandasti; ego tamen terra, mariq; ut conquiretur, præmandauit. Plautus in Pœnulo: Pater illarũ Pœnus, postquam eas perdidit, mari, terraq; illas usquequaq; queritat. MARE COELO MISCERE, VEL CONFUNDERE. *Mare cœlo miscere, uel confundere.* Mare cœlo miscere, uel confundere, pro uerbialis est hyperbole, pro eo, quod est, omnia perturbare, nihilq; non facere. Titus Liuius: Quid est, quod cœlo terram, terræ cœlum misceant? Idem alibi: Quid tandem est, cur cœlum, ac terras misceant? Iuuenalis: Clames licet, & mare cœlo Confundas, homo sum. Verg. Aeneid. V. de Iunone omnia tentante: Maria omnia cœlo Miscuit.

MARINVS,

Transmarinus, Maritimus.

g 3 Marinum

MARINVM piscem (inquit Valla libro IIII. cap. XC V.) dicimus, & auem marinam, & deū marinum, uel deam, uel nympham marinam. Nominatim quoque uitulum marinum, lupum marinum, turdum marinum, turturem marinum. Prætereà colorem marinum, casum marinum, periculum marinum, sonum, fluctum. Aquam marinam, non maritimam; nauem marinam, quidam etiam nauem maritimam. Rursus oram maritimam, gentem maritimam, res maritimas, bellum maritimum, nō marinum, uel transmarinum. Item hominem, gentem, urbem, triumphum transmarinum, non transmaritimum. Horum omnium hæc differentia est, quòd marinum uocatur, quod incolit mare, aut ex mari est. Maritimum, quod mare accolit, & ad mare est, uel ad mare fit. Transmarinum, quod trans mare est. Transmarinum enim foret, quod trans loca maritima esset, idem propriè, quod mediterraneū. Hæc Valla de uocum istarum significatione, & differentia: quæ tamen inter marinum, & maritimum in quibusdam ita pusilla est, ut nulla ferè re discrepare uideantur. Quemadmodum enim fluctus, æstus marinos, & nauigia marina dicimus: ita fluctus, æstus maritimos, & nauigia maritima à classicis scriptoribus dici uideas. Tu igitur sequentium exemplorum usum potius sequere, quàm Grammaticorum regulis te subijce. Exempla autem huiusmodi sunt.

MARINI EXEMPLA.

Cicero

Cicero de Natura Deor. II. Probabile est, præstantem intelligentiã in syderibus esse, quæ & ætheream mundi partem incolant, & marinis, terrenisq; humoribus longo interuallo extenuatis alantur.

Idem de Diuinat. I I. Quid de fretis, aut de marinis æstibus plura dicam? quorum accessus, & recessus lunæ motu gubernantur.

TRANSMARINI EXEMPLA.

Cicero in Verrem Act. V II. Priuatim nec proficisci quòquam potes: nec accersere res transmari- nas ex ijs locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet.

Idem contra Rull. Quid nos Asiæ portus, quid Syriæ rura, quid omnia trãsmarina uectigalia iuuabunt, tenuissimã suspicione prædonum, aut hostium iniecta?

Idem Philipp. X I. Non ut ex ea acie auxilium haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum.

Idem de Orat. I I I. Quid M. Catoni præter hãc politissimam doctrinam transmarinam, atq; aduentitiam defuit?

MARITIMI EXEMPLA.

Cicero in Verr. Act. I I I I. Cogitate nunc, cum illa sit hęc insula, quę undique exitus maritimos habeat, quid ex cæteris locis exportatum putetis.

Idem pro Planc. Tum consilio repente mutato, iter Vibone Brundusium terra petere contendit: nã
maritim

maritimos cursus præcludebat hyemis magnitudo.

Idem Tuscul. V. Quid igitur eiusmodi istorum est: ut mihi illud Laconis dictum in hos cadere uideatur: qui gloriantur cuidam mercatori, quod multas naues in omnem oram maritimam dimisisset: non fanè optabilis ista quidem est, inquit, rudentibus apta fortuna.

Idem de Nat. Deor. II. Ab iisdem etiam martimi cursus celeres, & certi diriguntur.

Ibidem: Enumerari non possunt fluminum opportunitates; æstus maritimi multum accedentes, & recedentes.

P O N T V S.

P O N T V S mare dicitur. Propriè tamen quidam id mare pontum appellari uolunt, quod à palude Mæotidis usque ad Tenedum protenditur. Cic. in Verr. Act. V. Illud signum Flaminius ita ex æde sua sustulit, ut in Capitolio: id est, in terrestri domicilio Iouis poneret, quod autem est ad introitum Ponti, id, cum tam multa ex illo mari bella emerferint, tam multa porro in Pontum inuecta sint, usque adhanc diem integrum, inuiolatumque seruatum est. Idem de Orat. I. Citius hercule is, qui duorum scalmorum nauiculam in portu euerterit, in Euxino Ponto Argonautarum nauem gubernarit. P E L A G V S. Pelagus profundum maris significat. Cic. de Orat. III. Undique omnes uenti erumpunt: sæui existunt turbines;

Pelagus.

bines: feruet æstu pelagus. Vergilius Georg. I I. Pelagoq; uolans da uela patienti. Idem Aeneid. II. Incumbunt pelago, pariterq; ad littora tendunt. Idem Aeneid. V. Prona petit maria, & pelago decurrit aperto. **FRETVM.** Fretum mare appellatur: dictum ab undarum fremitu. Vel, ut Varro ait, à similitudine feruentis aquæ, quòd in fretū sæpe concurrat æstus, atq; feruescat. Fretus masculino genere dixerunt ueteres. Lucret. libro VI. Nam fretus ipse anni permiscet frigus ad æstum. Ennius: Crassa puluis oritur, omnem peruolat cœli fretum. Varro: Inter Italiam, & Siciliam, qui est fretus inter Regium, & Messanam. Cic. in Verr. Act. VII. Vt ille in dolore, cruciatuq; moriēs, per angusto fretu diuisa seruitutis, ac libertatis iura cognosceret.

Fretum.

Fretus, us, ui.

HÆC DE RARIORI VSV exempla: ad uulgariora uenio. Cicero in Verr. Act. III. Te putet quisquam, cum ab Italia fretu disiunctus esses, socijs temperasse. Idem in Verr. Act. VII. Audiuius M. Crassi consilio factum, ne ratibus coniunctis fretu fugitiui ad Messanam transire possent. Idem de Diuinat. Quid de fretis, aut maritimis æstibus plura dicam, quorum accessus, & recessus lunæ motu gubernantur? **SALVM.** Salum mare dicitur à sapore salis.

Salum.

Cic. Tusc. IIII. Si mihi nunc tristis primùm illuxisset dies, nec tam ærumnoso nauigassem salo, &c. **IN SALO STARE,** uel esse. Cum anchorę iactę erant procul à portu, naues dicebantur in salo stare.

In salo stare, uel esse.

h stare

stare, uel esse, uel commorari. Cæsar de Bell. Afric. lib. v. Reliqua classis in salo stabat. Ibidem: Naues onerarias, quæ longius à portu in salo stabant, incēdit. Ibidem: In salo in anchoris ea nocte commoratus est. SALVM pro iactatione accipere uidetur item Cæsar, de Bell. Ciu. III. Tirones multitudine

Salum pro iactatione.

Altum. nauium perterriti, & salo, nauisq; confecti. ALTVM. Altū pro maris profundo, uel pro ipso mari sæpe accipitur: aut pro loco maris longè à terra remoto. Cic. in Verr. Act. VII. Ab illa parte urbis nauibus aditus ex alto est. Idem de Invention. Cū nautæ in alto iactarentur. Ibidem: Cū magna in alto tempestas esset. Idem de Finib. Si plures ex alto emergere uelint.

N A V I S.

Gladiorum, & pilorum genera diuersa.

Nauium appellationes, & nomina uaria.

NAVIS significatio sine explicatione per se satis patet: explicatione igitur non opus est. Nauium autem apud antiquos multa erant genera, ut telorū, & gladiorum. Gladiorum, & pilorum erant: Hasta, Pilum, Phalarica, Semiphalarica, Soliferrea, Gesa, Lancea, Spari, Rumigestri, Faces, Tragulæ, Framæ, Mefanculæ, Cateiæ, Rumpheæ, Scorpius, Scibones, Sicilices, Veruta, Enses, Sicæ, Machere, Spatæ, Lingulæ, Pugiones, Climaculæ. De lingula, quoniam est minus frequens, admonendū existimo, Lingulā ueteres dixisse gladiolū oblongum, in speciem linguæ factū. Item Rumphea genus teli est Thracæ nationis. NAVIVM AVTEM APPELLA-

TIONES HÆ SUNT: Gauli, Corbitæ, Caudicæ, Naues longæ, Onerariæ, Actuariæ, Biremes, Triremes, Quadriremes, Quinqueremus, Lembi, Hippagines, Cercurus, Celoces, Oxia, Schediæ, Remeculi, Scaphæ, Lintres, Profumiæ, Geseoretæ, Oriæ, Cattæ, Pōtones, Nuçtutiæ, Mediæ, Phaseli, Parones, Myoparones, Caupulica, Mareplacidæ, Cidari, Ratiariæ, Catafscopium, Cimba, Piltris, Liburnum, Remulcus, Aphractum, Lenunculus. Hæc sunt nauium genera multa, quæ licet à LAZARO

Lazarus Bayfius.

BAYFIO uiro tū Græcè, tū Latinè doctis, cū re tota nautica & ingeniosè, & eruditè explicatū iri spero, libro eo, quem de re Nauali breuī in lucem editurus est, tamen eorum nōnulla cursim interpretari libuit. LONGAE. Inter longas, & onerarias discrimen esse Cicerone, & Cæsare legendis facilè agnoscitur: apud quos nauium longarum multa mentio est, & exempla crebra. Cæsar de Bell. Gallic. IIII. Quod ubi Cæsar animaduertit, naues longas, quarum & species Barbaris erat inusitatio, & motus ad usum expeditior, paululum remoueri ab onerarijs nauibus iussit. ONERARIAE NAVES. Onerariæ

Longæ.

Onerariæ naues.

naues dicuntur à gestandis oneribus, & ideo tardæ: uel quòd essent oneri ferendo idoneæ. Onerariæ autem ad frumentum uehendū aptæ, frumentariæ dicuntur. Cic. ad Att. X. Occultè in aliquam onerariã corrependum est. Idem de Diuinat. Noctu flagrantēs onerarias uidebatis. Plin. in Epist. Sæpe minores

h 2 maio

maioribus, uelut cymbulæ onerarijs, adhærescunt. Cef. de Bell. Ciu. lib. III. Comitatu equitum triginta ad mare peruenit, nauemq; frumentariam cōscendit. GAULVS. Gaulus pro naue oneraria ponitur.

Gaulus.

Gaulus etiam accipitur pro uase, quo pastores utuntur ad lac excipiendum. CORBITAE. Corbitæ dicuntur naues onerariæ: quod in malo earum summo, pro signo corbes solerent suspendi. Cic. ad Att. XVI. Corbita'ne Patras, &c. Plaut. in Pœnulo: Tardiores multo, quàm corbitæ sunt in trāquillo

Corbitæ.

mari. CAUDICAE. Caudicæ sunt naues ex tabulis crassioribus factæ. ACTUARIAE. Actuariæ dicuntur naues celeres, quæ citò agi possunt: uel sunt

Caudicæ.

Actuaria.

actuariæ naues, quæ remis aguntur, non modò uelis. Sallust. Ad hoc pauca piraticæ actuaria nauigia. Idem: His actuariæ naues circiter triginta, decem onerariæ erant. PRO NAVIBVS ACTUARIS

Actuaria.

RIS, dicunt aliquando Latini Actuaria in neutro genere. Cicero ad Attic. V. Actuarijs minutis Patras accedere sine ijs impedimentis non satis uisum est decorum. Idem ad Attic. X. Quid duro tempore anni actuaria fore censes? BIREMES, TRIRES

*Biremes: Triremes: Quadriremes: Quinquere-
mes.*

MES, QVADRIREMES, QVINQVEREMES. A remorū ordinibus appellatur hæc nomina: scilicet ut sit Biremis, quæ duos remorū ordines habet: Triremis, quæ tres: Quadriremis, quæ quatuor: Quinquere-
mes, quæ quinque. Obserua id quoq; cum biremem, triremem, quadriremem, penti-
remem

remem dicimus, nauem semper intelligi. Quinquere
 mis & formā, & usum retulit Venetijs Faustus qui- *Quinquere mis*
 dam Venetus. Eam pulchrè admodum exædificatā *usus relatus a=*
 uidimus in armamentario Veneto, cū Venetijs a- *puđ Venetos.*
 geremus prima adolescentia. Eam postea in mari uis-
 dimus cursum cum triremibus tenentem, & cum ijs
 de celeritate, & grauitate oneris ferendi certantem:
 idc̄ Senatus Veneti iussu, ut, quæ esse posset usus
 quinqueremium relati utilitas, nosceretur: quæ cer-
 tē plurima uisa est. **LEMBI.** Lembus est nauicula *Lembi.*
 breuis, & uelocissima. Plaut. in Mercat. Dum agun-
 tur hæc, lembo aduehitur tuus pater pauxillulo. Ti-
 tus Liu. lembos uidetur habere inter actuaria, De-
 cadis quartæ lib. IIII. Ne, inquit, nauem ullam præ-
 ter duos lembos, qui non plusquam sexdecim re-
 mis agerentur, haberet. Vergilius lembos ponit in-
 ter fluuialia I. Georg. his uersibus: Non aliter, quam
 qui aduerso uix flumine lembum Remigijs subigit,
 &c. **CERCURVS.** Cercurus genus est nauigijs à *Cercurus.*
 Cypris inuentum teste Plinio lib. VII. cap. LVI.
 Inter actuaria poni potest. Liuius Decadis quartæ li-
 bro IIII. Ipse cum classe centum tectarum nauium,
 ad hæc leuioribus nauigijs, cercurisq̄, ac lembis du-
 centis proficiscitur. Plaut. in Stich. Dum percontor
 portitores, ecquæ nauis uenerit ex Asia: negant ue-
 nisse: cōspicatus sum interim cercurum, quo ego me
 maiorem non uidisse censeo: in portum uento secun-
 do uelo passo uenit. **CELOX.** Celox genus est na- *Celox.*

h 3 uiculæ

uiculæ breuis, à uelocitate dicta. Vulgò brigantinū uocant. Plautus in Milite. Hæc celox illius est, quæ hîc egreditur internuncia. Idem in Capt. Modò in portu Philopoleum uiuum, saluum, & sospitem uidi in publica celoce. Celoces item pro prædatorijs, uel piraticis nauibus sæpe poni uideas. Titus Liuius quartæ Decadis lib. VII. Apparuit inde piraticas celoces, & lembos esse. SCHEDIAE. Schedia raris est Latine: id est, nauigium temere factum, & inconditum, ut trabes connexæ, & sine fabrica compactæ, quæ nauigij uicem præbent. Schedia etiam ponitur aliquando pro ponte, seu loco fluminis quoquo modo iuncto: sic Herodotus pontem, quo Darius Bosphorum iunxit, schediam uocat. REMECULI. REMECULI. Remeculi nauigia erant, quibus Lemnijs utebantur. SCAPHAE. Scapha nauicula est ligno cauata, ut sunt paruæ piscatorum naues: uel lintres nauem sequentes. Cæsar de Bell. Gall. lib. IIII. Quod cum animaduertisset Cæsar, scaphas longarum nauium militibus compleri iussit. Cicer. de Inuent. II. Usque adeò, ut dominus nauis in scapham confugerit. LENUNCULVS. Lenunculus est scapha: nonnulli etiam pro nauē piscatoria ponunt. Cæsar de Bello Ciuil. lib. II. Harum fuga nauium onerariarum magistris incitabat, pauci lenunculi ad officium, imperiumque conueniebant. LINTRES. Linter nauicula est è cauata arbore facta. Verg. Georg. II. Cauat arbore lintres. Cicero pro Mil. Lintribus in eam

Celoces pro piraticis nauibus.

Schedia.

Remeculi.

Scapha.

Lenunculus.

Lintres.

in eam insulam materiam conuexit. Cæsar de Bello
 Ciuil. lib. I. Duas naues scaphis, lintribusq; depræ-
 hendunt. Idē de Bell. Gall. lib. VII. Cōquirat lintres:
 has magno fonitu remorū incitatas in eandem partē
 mittit. **PROSVMIÆ.** Profumia genus est nauis *Profumia.*
 gij leuis, speculatorij. Plautus: De nocte ad portam
 profectus sum profumia. **GESEORETÆ.** Ge- *Geseoreta.*
 seoreta à nōnullis profumia dicitur. **ORIAÆ.** Oria *Oria.*
 nauis est piscatoria. Plautus: Malo hunc alligari ad
 oriam, ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.
PONTONES. Pontones naues sunt, quibus in *Pontones.*
 trañciēdis amnibus loco pontium utimur. Id genus
 nauigij frequens fuit quondam apud Gallos, ut in
 Commentarijs Cæsarīs uidere est: maximè lib. III.
 de Bello Ciuili, ubi sic est: Plerasque naues in Italiam
 emittit ad reliquos milites, equitesq; transportan-
 dos: pontones, quod est genus nauium Gallicarum,
 Lyssi reliquit. Negant nonnulli nostræ ætatis, uerisi-
 mile esse, eos pontones, quorum meminit Cæsar, fu-
 isse id genus nauigij ratiarj, quo passim utimur ad
 trañcienda flumina. **HIPPAGINES.** Hippagines *Hippagines.*
 naues sunt ad belli usum necessariæ, quas hippago-
 gas uocat Liuius à transportandis equis. Quod nau-
 uigij genus ab ipso Liuiō apertius declaratur, quàm
 ut nostræ interpretationis egeat, dum ait libro IIII.
 quintæ Decad. Fortè postero die, quàm Sybota clas-
 sis tenuit quinque, & triginta naues, quas hippagogas
 uocāt, ab Elea profectæ cū equitibus Gallis, equisq;
 Phanas

Cata scopium. Phanas promontoriū Chiorum petebant. CATASCOPIUM. Cata scopium genus erat nauigij speculatorij, uel exploratorij. Cæsar: Literis celeriter in Siciliam ad Atticum, & Rabirium Posthum. conscriptis, & per cata scopium missis, ut sine mora, aut ulla excufatione hyemis, uentorumq; exercitus sibi quàm celerrimè transportarentur. Cicero item hac

Phaseli. uoce usus est ad Atticum libr. V. PHASELI. Phaselus genus est nauigij Campani oblongi. Cicero ad Atticum I. Accepi tuas iam tres epistolas: unam à M. Cornelio, quam à tribus ei tabernis, ut opinor, dedisti: alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit: tertiam, quam (ut scribis) anchoris solutis de phaselo dedisti. Verg. Georg. IIII. Et circum pietis uehitur sua rura phaselis. Hor. Fragilemque mecum

Parones, uel Myoparones.

cū soluat phaselum. PARONES, uel Myoparones. Paro genus est nauigij: unde Myoparo piraticum nauigium. Cic. in Verr. Act. V. In portu Syracufano Myoparo piraticus nauigauit. Idem in Ver. Act. VII. Hæc igitur est gesta res: hæc uictoria præclara Myoparone piratico capto.

Ratis.

RATIS. Proprietates dicuntur connexæ, & rectè compactæ inuicem trabes, quæ per aquam trahuntur. Sed à poëtis ratis sæpe, & nonnunquam ab oratoribus pro tota naue usurpatur. Cic. in Verr. Act. VII. Obstitisti uidelicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitiuorum copia possent. Vbi? quando? qua ex parte? cum aut nauibus, aut ratibus conarentur accedere? Idem Tusc.

I. Itaque

I. Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans, multa aduersa reuerens, tanquam ratis in mari immenso, nostra uehitur oratio. Vergilius Aeneid. X. Spus m̄atesq; rates aruis inferre Latinis. Luc. lib. 11. Precipites hēfere rates. C Y M B A. Cymba genus est nauis piscatoriæ. Cic. Off. 111. Ad coenā tēpore uenit Caninius. opiparē paratum erat conuiuium. cymbarum ante oculos multitudo. Verg. Aeneid. V I. Gemuit sub pondere cymba Sutilis. Ouid. Metamorph. 1. Cymba fedet alter adunca. L I B V R N V M. Liburnum, ni: uel liburna, næ: aut liburnica, cæ, genus est nauis bellicæ uelocissimæ: à Liburnis populis Illyrici, qui olim nauibus uelocibus usi, Ionium mare, in fulasq; prædabantur. Qua ex causa Romani naues leuitate, celeritateq; præstantes appellauerunt Liburnicas, ut refert Appianus. Sic naues nomen plerūq; à patria fortiuntur. Sic naues dicimus Aegyptias, Asiaticas, Syriacas, Rhodias, Achaias, Punicas, Smyrneas, Romanas, Sydonias, & istiusmodi multas. Cæsar de Bell. Ciuil. lib. 111. Præerat Aegyptijs nauibus Pompeius filius, Asiaticis Dec. Lælius, & C. Triarius, Syriacis C. Cassius, Rhodijs C. Marcus Iulius cum C. Pōponio: Liburnicæ, atq; Achaicæ classi Scribonius Libo, & M. Octavius. N A V E S Q V O Q V E ut à patria nomen aliquando fortiuntur: ita ab eo ministerio, quod præstant. Ita dicuntur piscatoriæ, speculatoriæ, exploratoriæ, quibus utuntur piscatores, speculatores, exploratores. Vel à rebus,

Cymba.

Liburnum.

Nauis à patria nomen fortiuntur.

Nauis ab eo ministerio, quod præstant, nominata: uel à rebus, quas subuehunt.

quas subuehunt: sic frumētariæ, quibus subuehitur, & comportatur frumentum: uinariæ, quibus uinū: oleariæ, quibus oleum: mercatoriæ, quibus merces. Epitheto etiam illustrantur ab eo, quod habent illustrius, atq; eminentius: uel quo armantur, atque ad belli usum comparantur. Qua ratione dicuntur alie

Rostrata, uel turrite naues.

quando rostratæ: aliquando turritæ, à turribus, que imponebantur nauibus ad libram: idq; nō solum ad proram, sed etiam ad puppim. Cæf. de Bell. Ciu. lib. III. Atq; alteram nauem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus nauibus, in quibus ad libram fecerat turres. Verg. Aeneid. VIII. Cre- das innare reuulsas Cycladas, aut montes concurre- re montibus altos: Tanta mole uiri turritis puppi-

Liburni exēpla.

bus instant. Sed de Liburno, & Liburnicis exempla danda sunt. Horat. in Epodo. Ibis Liburnis inter alta nauium Amice propugnacula. Sueto. in August. Utrobiq; parte Liburnicarū demersa, simulq; eius, qui uehebatur, qui fuis armamentis, & gubernaculo diffracto, &c. Luc. Ordine contentæ gemino cre- uisse Liburno. Plin. in Epist. Iubet Liburnicam apta- ri: mihi, si uenire unā uellem, facit copiā. R E M V L

Remulcus.

C V S. Remulcus est parua nauis, siue scapha. Et re- mulco grandiores naues trahere solent nautæ: quod aliquādo nō necessitatis gratia fit, sed ut nauis quietius agatur. Cæsar de Bell. Ciu. lib. III. Quibus cog- nitis rebus Cn. Pompeij filius, qui classi Aegyptiæ præerat, ad Oricum uenit, summersamq; nauim re-

mulco,

mulco, multisq; contendens funibus abduxit. Idem de Bell. Alexand. lib. IIII. Hac calamitate perterritis hostibus, aduerso uento leniter flante naues onerarias Cæsar remulco Alexãdriã deducit. APHRACTVM. *Aphractum.* Aphractũ genus est nauigij lōgi, quo plurimũ Rhodij utebantur. Cic. ad Att. v. Nauigauimus tardius propter Aphractorũ Rhodiorũ imbecillitatem. Idẽ ad Att. v 1. Aphractis, cæterisq; lōgis nauibus tranquillitatem aucupaturi eramus. Idem: Nosti Aphracta Rhodiorum: nihil est, quod minus fluctum ferre possit. Idem: De pueris quid agam? paruone nauigio committam? quid mihi animi in nauigando censes fore? recordor enim æstate cũ illo Rhodiorum Aphracto nauigans quàm fuerim sollicitus. DICROTA. Dicrota, ut Aphracta, uocẽ uelut Latinã Latinẽ usurpat Cicero (ut sæpe Græcis pro Latinis utitur) lib. ad Att. III. Aphracta Rhodiorum, & Dicrotum Mytilenorum, & aliud Catafopiũ. Cæsar de Bell. Ci. lib. IIII. Cepit ex eo prælio pentiremem unam, triremes duas, dicrota octo. Pro dicroto biremem habent Latini. EMBATAE, VEL EPIBATAE. Embatae castrensi, aut etiam nauali uerbo naues dici possunt, quasi scansiles, quæ uectoribus trañciendis aptæ sunt, Plin. lib. XIX. Quædam naues onerariæ: quædam (ut ipsi dicunt) embatae sunt, Nonnulli hoc loco emphatae legunt: sed melius embatae legitur. Epibatae uerò etiam milites classiarij dicuntur: id est, milites in nauibus merentes. Cæsar de

*Navis partes
præcipuæ.*

*Navis partium
enumeratio.*

Bell. Alexand. Capta est una hostium quadriremis, depressa est altera: deinde omnibus epibatis nudata: magna prætereà multitudo in reliquis nauibus propugnatorum est interfecta. H A E S V N T nauigiorum appellationes: nunc ad quasdam nauis partes uenio. Nauis autē præcipuæ partes sunt pro-
ra, & puppis: de quibus scribemus. Postea quasdam eiusdem nauis particulas annotabimus. Vt eas tamē semel compræhensas habeas, hæc nomina habent, si à summo incipere uelis: Corbem: Cornua (mali extremæ partes sunt): Antennas: Malum: Carchesium (summa pars mali est): Trachelum (media pars mali est): Pternam (inferior pars mali est): Opiferos funes: Calon: Rudentes: Puppim: Turres: Proram: Oculum: Rostrum: Rostrum tridens: Epotidem: Catastromata: Remos: Carinam: Combam: Clauum: Gubernacula. Has nauis partes non omnes annotabimus, nec eo ordine: sed alio, qui iam sequitur. P R O R A. Prora est pars anterior nauis. Cic. de Orat. In nauigio latera, carinæ, prora, puppis. Titus Liu. Suspensa prora nauim in puppi statuebat. Verg. Aenei, I X. Quot prius ærata steterant ad lit-
tora proræ. P R O R E T A. Proreta est, qui proræ præfectus est: quemadmodum gubernator, qui puppi. Plaut. in Rudent. Si tu proreta isti naui es, ego gubernator ero. P V P P I S. Puppis est posterior pars nauis. Cic. in famil. Sedebamus in puppi. Idē ad Att. XIII. Inhibitio remigū motū habet, & uehementiorē quidem

quidem remigationis nauē cōuertentis ad puppim. Verg. Georg. III. Puppibus illa prius patulis, nūc hospita plaustris. Idem Aeneidos V. Vastis tremitt ictibus ærea puppis. In quibusdam poëtarum exemplis ponitur puppis pro tota nauī. P R O R A M, E T P V P P I M aliquid alicui esse rei alicuius faciendæ. Cicer. famil. XV I. Mihi prora, & puppis, ut Græcorum prouerbium est, fuit à me tui dimittēdi, ut rationes meas explicares. Prora itaq; & puppi summam consilij nostri significamus: propterea q̄ à prora, & puppi, tanquam à capite, & calce, pēdeat tota nauis. Proinde quoties summā totius negotij, & omne momentū significabimus, proram, & puppim per prouerbium dicere poterimus. ALIÆ nauis partes sunt, Latera, Carina; & alię particulæ, quæ sequētur. L A T E R A. Latera dicuntur nauis, quæ sunt inter proram, & puppim: sed id ex lōgitudine, non ex latitudine cōsiderare debemus. Cic. de Orat. In nauigio latera, carinæ, prora, puppis. C A R I N A. Carina est infima pars nauis: uel infima trabs, qua nauis fundatur. Cæf. de Bello Gallic. lib. III. Carinæ aliquanto planiores, quàm nostrarum nauīū, quò facilius uada, ac decessum æstus excipere possent. Ouid. in Pont. Dum mea puppis erat ualida fundata carina. Pro naue ipsa sæpe ponūt poëtæ. Vergil. Georg. I. Iam sibi tum curuis malè temperat unda carinis. Idem Aeneid. IIII. Natat uncta carina. Idem Aeneid. V. Et longæ fulcant uada falsa

Prora, & puppis pro summa consilij.

Nauis partes alie.

Latera.

Carina.

i 3 carinæ,

Sentina. carinæ. SENTINA. Sentina pars est navis inferior: in quam, quicquid instillat aquarum, defluit, corruptæq; malè olent. A sentio, sentis dicta, quòd eius foetor sentiatur, nam odorem foedum emittit. Cicero famil. IX. Sedebamus in puppi, clauumq; tenebamus: nunc autem uix est in sentina locus. Metaphoricè hæc à Cicerone dicta sunt: sed in quibus tamen propria sentinæ significatio tota eluceat. Idem de Senect. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda uersari senectutem negant: similesq; sunt, ut si qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant, cum alij malos scandant, alij per foros cursent, alij sentinam exhauriant: ille autem clauum tenens sedeat in puppi. PER translationem, sentina dicitur omnis locus, in quo receptaculum sit sceleratorum hominum, uel ipsi scelerati homines. Cicero ad Attic. I. Qua emptione constituta diligenter & sentinam urbis exhauriri, & Italię solitudinem frequentari posse arbitrabar. Idem in Catil. O fortunatam Rempub. si quidem hanc sentinam huius urbis eiecerit. Ibidem: Si exieris, exhaurietur ex urbe comitum tuorum magna, & perniciofa sentina Reipublicæ. Idem contra Rull. Hoc uerbo usus est, quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum ciuium genere loqueretur. Idem in Sallust. Nisi fortè in ea te castra reiecisti, quòd omnis sentina Reipublicæ confluxerat. NAVIS PARTES sunt: Fori, Transtra, Clauus, Malus, Antenæ, Vela, Remus. Quæ omnia suo ordine exponemus

Cum translatione.

Navis partes alie.

exponemus. **F O R I**. Fori sunt tabulata nauium, uel *Fori.*
 locus in nauī aptior, qui iter nauem perambulanti-
 bus præbet: ab eo dicti, quòd per eos ferantur inceſ-
 ſus. Cicero de Senect. Nihil igitur afferunt, qui in
 re gerēda uerſari ſenectutem negant, ſimilesq; ſunt,
 ut ſi qui gubernatorem in nauigando agere nihil di-
 cant, cū alij malos ſcandāt, alij per foros curſent,
 alij ſentinam exhauriant: ille autem clauum tenens
 ſedeat in puppi quietus, non faciat ea, quæ iuuenes.

I N A L I A S I G N I F I C A T I O N E dicuntur *Fori pro locis*
 fori loca ſpectaculorum. Tit. Liu. ab Vrbe Cond. I. *ſpectaculorum.*

Tum primūm Circo, qui maximus dicitur, designa-
 tus eſt locus: diuiſa loca à patribus, equitibusq;: ubi
 ſibi ſpectacula quiſq; faceret, fori appellati. **F O R I**

E T I A M dicuntur armariola, ſiue capſule, in quibus *Fori pro arma-*
 reponuntur libri. Sueton. in Auguſt. Hos quoq; de *riolis.*

lectu habito cōdidit duobus forulis auratis ſub La-
 tini Apollinis baſi. Iuuenal. Hic libros dabit, & fo-

rulos, mediamq; Mineruā. **T R A N S T R A**. *Tranſtra.*

Trāſtra ſunt tabulæ, ſuper quas ſedent remiges. Cæſ. de
 Bell. Gall. lib. III. Tranſtra ex pedalibus in altitu-

dinem trabibus confixa clauis ferreis, digiti pollicis
 craſſitudine. Vergil. Aeneid. V. Fuit immiſſis Vul-

canus habenis Trāſtra, per & remos, & pictas abie-
 te puppes. **T R A N S T R A** quoq; dicuntur tigna,

quæ tranſuerſa à pariete in parietem porriguntur.
 Vitruu. lib. V. Trabes etiam ſupra columnas, & pa-
 raſtata, & antes ponuntur in contignationibus: ti-

gna,

gna, & axes sub tectis: si maiora spatia sunt, & trās-
tra, & capreoli: si commoda, columen, & canteri.

Clauus.

Clauum tenere.

CLAVVS. Clauus dicitur nauis gubernaculum,
quòd eā dirigat, rectamq; teneat. Et dicitur clauum
tenere in nauī, qui nauem ipsam regit. Cic. pro Sest.
Quis clauum tanti imperij tenere, & gubernacula
Reipub. tractare in maximo cursu, ac fluctibus pos-
se arbitraretur hominem emersum subitò ex diutur-
nis tenebris lustrorum, ac stuprorum, uino, ganeis,
lenocinijs, adulterijsq; confectum? Translate hīc
utitur Cicero. Proprium uerò exemplum uide sus-
prà in dictione fori. Plaut. in Amphit. Parata nauī,
clauo hæreas sedulò. De uulgari clauī significatione
nihil hīc accuratius annotamus, præterquàm quod
per prouerbiū dicūt Latini, Clauo trabali figere.

*Clauo trabali si-
gere.*

CLAVO AVTEM TRABALI FIGERE
beneficium, uel aliquid simile dicimus, cuius memo-
riam in longum seruare uolumus. Ductum prouer-
bium ab ijs, qui, quod uolunt maximè hæerere, & so-
lidum esse, clauo trabali figunt. Cicero in Verrem
Actio. VII. Et ut hoc beneficium, quemadmodum
dicitur, trabali clauo figeret, cum concilio causam

Malus.

Mamertinorum cognoscit. MALVS. Malus pri-
ma longa, & genere masculino dicitur arbor nauis.
Cicero in Verrem Actio. VII. Cleomenes malum
erigi, uela fieri, anchoras præcidi imperat. Idē de Se-
nect. Cùm alij malos scandant, alij per foros cur-
sent. Ouid. in Epist. Rigido pendentia lintea malo

Sustulit.

Sustulit. Lucanus lib. I. Fracta^q ueliferi sonuerunt pondera mali. ANTENNAE. Antennas uocant Latini lignum per transfuersum in malo nauis positum, in quo uelum alligatur. Cicero de Orat. III. Quid tam in nauigio necessariū, quàm prora? quàm puppis? quàm antennæ? quàm uela? quàm mali? Cæsar de Bello Alexandr. IIII. Cùm propius Thauridem accessisset distensis suis nauibus, quòd & tempestas erat turbulenta, & nulla suspicio hostis, repentè aduersam ad se uenientem nauem, antennis ad medium malum demissis, instructam propugnatoribus animaduertit. Ibidem: Quod ubi conspexit, celeriter uela subduci, demitti^q antennas iubet. Plaut. in Trinum. Venit imber, fluctus^q, atque procellæ infestæ: fregere malum, ruere antennas, scindere uela. Vergil. Cornua uelatarum obuertimus antennarū. RUDENTES. Rudentes sunt funes nauticæ: quoniam, cùm funes uento agitantur, rudere uidentur. In singulari etiam numero frequēs est. Cic. Tuscul. V. Non sanè optabilis ista quidem est, inquit, rudentibus apta fortuna. Idem de Diuin. I. Non illa, quæ futura sunt, subito existunt: sed est quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil noui efficientis, & primùm quicque replicantis. Cælius Cicero, famil. VIIII. Hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum sibilus. Verg. Insequitur clamor^q uirūm, clangor^q rudentū. Luc. lib. VIIII. Aut laqueū collo, tortos^q aptas

*Antennæ.**Rudentes.*

k

re rud

vela. rerudentes. **VELA.** Vela sunt lintea nauis illigata
Dolo. antennis. Generali tamen significato pro integumē-
 to, uel inuolucro ponuntur. **MINVS VELVM**
DOLŌ appellatur. Tit. Liu. Dolonibus erectis al-
 tum petere intendit. Idem: Sublatis dolonibus effu-
 gere contendit. Hęc de dolone sint. Ad uelorum ex-
*Velorum exem-*empla uenio. Cic. ad Quint. frat. Multis simulatio-
*pla extra rem*num inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam
nauticam. obtēditur uniuscuiusq; natura. Idem in Verr. Act.
VII. In ipso aditu, atq; ore portus tabernacula car-
 baseis intenta uelis collocabat. Idem in Catil. Socij
 Catilinæ uelis amicti, non togis. **H A E C E X E M P L A**
*Velorum nauti-***PLA** extra rem nauticam sint: ad nautica progres-
*ca exempla.*dior. **NAUTICA VELORVM EXEM-
 PLA.** Cicero pro Domo sua: Quid tandem? si tu
 que in illis Reipu. tenebris, cæcisq; nubibus, & pro-
 cellis, cum Senatum à gubernaculis deiecisses, po-
 pulum è nauī exturbasses, ipse archipirata cum gre-
 ge prædonum impurissimo plenissimis uelis nauis-
 gasses: si, quæ tum promulgasti, perferre potuisses,
 qui locus orbe terrarum uacuis extraordinarijs fa-
 scibus, atq; imperio Clodiano fuisset? Translatione
 plenum est hoc Ciceronis exemplum: sed tamen in
 quo ueli proprietatem recognoscas. Verg. Georg. I.
 Nauita ponto Humida uela legit. Ouid. Vela tamē
Vela facere. spectat summo fluitantia malo. **VELA FACERE.**
 Omnes ferè sequentes locutiones, quæ à uelis
 ducuntur, translatae sunt: sed tu eas uelut proprias
 habeto,

habeto, quando aliæ in præsentia non occurrunt. Cic. in Verr. Act. VII. Cleomenes malum erigi, uela fieri, anchoras præcidi imperat. Idem Tusc. IIII. Vtrum mauis? statim ne nos uela facere: an quasi è portu egredientes paululum remigare? **VELA PANDERE.** Cic. Tusc. I. Quò utinam uelis passis prouehi liceret. Idem Tusc. IIII. Quærebã, utrum panderem uela orationis statim: an eam antè paululum Dialecticorum remis propellerẽ. **VELA DARE.** Cic. de Orat. I I. Si se dant, & ut antè dixi, sua sponte, quò impellimus, inclinant, atq; propendẽt, accipio, quod datur: & ad id, unde aliquis flatus ostẽditur, uela do. Idem in Orat. Sequitur, ut cuiusq; generis nota quærat, & formula: magnum opus, & arduum: sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus. Nunc quidem iam, quòcunq; feremur, danda nimirum uela sunt. Verg. Vela dabant læti, & spumas falis ære ruebant. Idẽ Aeneid. VII I. Ipsa uidebatur uẽtis regina uocatis Vela dare, & laxos iam, iamq; immittere funes. **VELA DUCERE.** Cæs. de Bell. Ciuil. lib. I I. Iubet pronuntiar, se in hostiũ habiturum loco, qui non euestigio ad castra Cornelia uela duxisset. **VELA SUBDUCERE.** Cæs. de Bell. Alexand. lib. III I. Quod ubi conspexit, celeriter uela subduci, demittiq; antennas iubet. **VELA CONTRAHERE.** Cic. ad Att. I. Contraxi uela perspiciẽs inopiã iudicum, neq; dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum, atq;

Vela pandere.

Vela dare.

Vela ducere.

Vela subducere.

Vela cõtrahere.

k 2 testatum

Velis, equisq;

testatum, ut nō possem præterire. A' V E L I S pro-
 uerbiales ductæ sunt locutiones: Velis, equisq;
 & Remis, uelisq;. V E L I S, E Q V I S' Q V E. Si-
 milem conatum significat, uelis, equisq;, quem, om-
 nibus neruis. Atq; ad fugiendum, aut assequendum
 magis, quàm ad efficiendum pertinet. Cic: ad Quint.
 frat. lib. I I. Sic ego, qui in isto homine colendo tam
 indormiui diu, te mehercule sæpe excitante, cursu
 corrigam tarditatē tum equis, tum uelis. Idem Offi-
 ciorum libr. I I I. Quibus obsoletis floret Epicurus,
 eiusdem s. rē autor, adiutorq; sententiæ. Cum his
 equis, uelisq;, ut dicitur, si honestum tueri, ac reti-
 nere sententia est, decertandum est. In quibus exem-
 plis usus est Cic. eadē metaphora paulò diuersius,
 ut qui illic respexerit ad celeritatem: hīc ad utrunq;
 pugnæ genus equestre, ac nauale. R E M I S, V E-
 L I S' Q V E. Superiori prouerbio hoc simillimum
 est. Inde translātū, quòd, cūm nauis simul & remis-
 gio, & uelo impellitur, summus est nautarum cona-
 tus. Cic. Tusc. I I I. Tetra res est, misera, detestabilis,
 omni contentione uelis, ut ita dicam, remisq; fugiē-
 da. Idem Philipp. I. Tum uerò tanta sum cupiditate
 incensus ad reditū, ut mihi nulli neq; remi neq; uen-
 ti satis facerent. Plaut. in Asinar. Remigio, ueloq;
 quant uncunque poteris, festina, & fuge.

*Remis, uelisq;**Erasmi Roterodami obitus.*

De istiusmodi prouerbialibus locutionibus plus
 ra in Chiliadibus Erasmi Roterodami uideas: de cuius
 obitu, cūm hæc scriberē, dissipatus est Lugduni
 rumor,

rumor, & planè confirmatus. Meam cū illo contentionem quid hīc pluribus repetam? Mortuo (qua tamen modestia in alios non usus est) tam me æquum, & amicum noscet posteritas, quàm in uiuum asper, & durus uisus sum plerisque. Cuius animi mei pignus ~~pignus~~ iam sit carmen sequens.

ODE DICOLOS DISTROPHOS
in obitum Erasmi Roterodami.

Quondam bella ferocia

Cū inter se atque duces Romulidæ, atque Afri
Ducebant animosius:

Tum, donec ualidus, uiuus, & integer,
Frendensque, atque minans erat

Hostis, cui, gladio cominus aggredi,
Et telo appetere undique,

Non laudabile, non egregium fuit:
Ergo, dum fuit integer,

Et pugnae cupidus, spicula senserit
Nostra hostis Ciceronis, &

Galli (quæ rabies?) nominis insolens,
Iam iam parcere mortuo

Mens est, nec tacitam carpere postea
Larvam uulnifico stylo.

Defunctum meritis sic modò laudibus
O' Musæ meritum senem

Ornemus. Rapuit mors nimium rapax
Germanæ patriæ decus,

Doctorumq; decus : quoslibet Itala
Tellus, Gallaq; proferat

(Te Budæe tamen, te quoque Longoliq;)

Germanæ patriæ decus,

Doctorumq; decus mors rapuit rapax.

Hoc igitur sit nostrę erga Erasmum mortuum uo-
luntatis pignus. Ad rem iam redeo.

Velare.

VELARE. Velare à uelo est, quod significat te-
gere. Cicero in Pison. Sæpe uidi, qui & mihi, & cæ-
teris cupidiores prouinciæ uiderentur, triumpho no-
mine tegere, atq; uelare cupiditatem suam. Idem pro

Domo sua : Tu, tu inquam capite uelato bona eius
conseruasti. Vergil. Iamq; oratores aderant ex urbe
Latina Velati ramis oleæ. Velati (inquit Seruius)
id est, instructi, & ornati, in manibus ramos oleæ te-

*Velanda pro pu-
dendis.*

nentes. Plin. in Epist. lib. VI. Velanda dixit pro pu-
dendis: Maritus (inquit) ex diutino morbo circa ue-
landa corporis ulceribus putrescebat.

*Velificare, uel
uelificari.*

VELIFICARE, VEL VELIFICARI. Velificari est

uela facere: quod uerbum eleganter transfert Cice-
ro, ut in oratione cõtra Rull.

Velificari honori suo:

de quo loquendi modo Primo Tomo satis multa

scripsimus. Cæl. Cic. familiar. VIII. Tibi suadeo,

quicumque est istic status rerum, diligenter, & caute

perscribas, ne aut uelificatus alicui dicaris: aut ali-

Traslatè positū.

quid, quod referret scire, reticuisse. Sic igitur trans-

fertur sæpe uelificari, poniturq; pro auram popula-

rem captare: uel alicui operam dare, & nauare.

Velificatio

VELIFICATIO, Cicero famil. I, Vt in nauigan *Velificatio.*
do tempestati obsequi artis est, etiam si portum te-
nere non queas: cum uerò id possis mutata uelifica-
tione assequi, stultum est eum tenere cum periculo
cursum, quem coeperis, potius, quàm eo commuta-
to, quò uelis, tandem peruenire. ARTEMON.

Artemon.

Artemon uelum est addititium dirigendæ nauis cau-
sa. Est & artemon, quam uocat Vitruuius trocleam:
qua in nauibus funes ductarij trahuntur, & arma-
menta explicantur: qua importantur onera, uel ex-
portantur: quæq; fiunt nauium subductiones. Ar-
temonis pro uelo meminuit Iulius Pollux: & in Acti-
bus apostolorū Lucas ἐπάραντες τὸν ἀρτέμωνα τῆ πνεύσει:
id est, extollentes artemonem ad auræ flatum. Est &
Artemon machinarij fabri nomen, qui è paupere di-
ues factus, uoluptariã agere uitam coepit. REMVS.

Remus.

Remus instrumentum est, quo naues aguntur. Cice-
ro in Verr. Act. VII. Quàm multos esse oporteret,
ex ipso nauigio, quod erat factum sex remorum nu-
mero, conijciebant. Cæsar de Bello Gallic. lib. IIII.
Quod ubi Cæsar animaduertit, naues longas paulu-
lum remoueri ab alijs, & remis incitari iussit. Verg.
Aeneid. V. Quam deinde Cloanthus Consequitur
melior remis.

*Remum inflecte
re.*

REMVM INFLECTERE, Cice-
ro in Academic. Necq; uerò hoc loco expectandum
est, dum de remo inflexo respondeam. REMOS

*Remos detergea
re.*

DETERGERE. Remos detergere ponunt Latini
pro collidere, uel cōfringere: & tunc detergere transf-
latum

latum est. Nam propriè detergi, uel detergeri dicuntur fordes, & situs. Cæsar de Bell. Ciu. lib. I. Ipsi Massilienses & celeritate nauium, & scientia gubernatorum confisi, nostros eludebant, impetusq; eorum excipiebant, & quod licebat latiore spatio, producta longius acie, circumuenire nostros, aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant. Idem de Bello Alexand. lib. IIII. Sustinent illi, atq; arte, solertiaq; se explicant: ac tantum doctrina potuit, ut in dispari numero nulla transuersa hosti obijceretur, nullius remi detergerentur. **REMIGARE.** Remigare est nauem remis propellere. Cicero ad Attic. XIII. Non enim sustinent remos, sed alio modo remigant. Idem Tusc. IIII. Vtrum igitur mauis? statim ne nos uela facere, an quasi è portu egredientes paululum remigare? **REMEX.** Remex dicitur, qui remos agit, uel qui remigandi ministerio mancipatus est: uel qui scalmò hæret: id est, labro nauis, ubi remi adnexi sunt. Cic. ad Attic. XIII. Arbitrabar sustineri remos, cum inhiberi essent remiges iussi. Idem in Verr. Act. VII. Præclara classis in specie, sed inops, & infirma propter dimissionem propugnatorum, atq; remigum. Idem pro Flacc. Non ne eo ipso tempore, cum L. Flaccus in Asia remiges imperabat, nos hîc in mare superum, & inferum festertium ter, & quadragies rogabamus? **REMIGATIO.** Remigatio est incitatio nauis à remige propulsæ; uel est remigis contentio, atque impetus in nauem

Remigare.

Remex.

Remigatio.

uem propellendam. Cicero ad Attic. XIII, Inhibi-
tio remigum motum habet, & uehementiorem qui-
dem remigationis nauem conuertentis ad puppim.

REMIGIVM. Remigium est ipsa remorum agi-
tatio, & remigatio: uel est remorum ordo, aut remi-
gum multitudo. Cic. Tusc. V. Traditum est etiam,
Homerum cæcum fuisse, at eius picturam, non poë-
sim uidemus. quæ enim regio, quæ ora, qui locus
Græciæ, quæ species formæ, quæ pugna, quæ acies,
quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum
non ita expictus est, ut, quæ ipse non uiderit, nos ut
uideremus, effecerit? Vergil. Georgic. I. Non aliter,
quàm qui aduerso uix flumine lembum Remigijs
subigit. Idem Aeneid. III. Remigiũ supplet, socios
simul instruit armis. Idem Aeneid. VI. ad aues trãs-
tulit, dum de Dædalo loquitur: Volat ille per aëra
magno Remigio alarũ. SCALMVS. Scalmus est
est lignum teres, cui nautæ remos loro quodam allig-
gant ad nauigandum, ut firmitus nauigent: Vel est
scalmus labrum nauis, ubi remi adnexi sunt: à quo
inter scalmia spatia inter remiges dicta sunt. Cic. ad
Att. XVI. Hæc ego conscendens è Pompeiano tri-
bui actuariolis decem scalmorum. Idem de Orat. I.
Citius hercule is, qui duorum scalmorum nauiculã
in portu euerterit, in Euxino ponto Argonautarum
nauem gubernarit. Idem in Brut. Crassus ab adole-
scente delicato, qui in littore ambulans scalmum re-
perisset, ob eamq; rem ædificare nauem concupiuis-

1 set,

Celeustes. set, exorsus est, &c. CELEUSTES. Operæ precium
 facturus uideor, si hanc etiam uocem cum remigis
 significatione explicem. Celeustes autem dicitur, qui
 remiges hortatur, quasi nauigationis moderator:
Hortator. qui à Plauto Latinè hortator appellatur, quòd ea
Celeuma, uel Celeusma. hortamenta faciat, quæ uerbo Græco celeusmata di-
 cuntur etiam à Latinis. Hoc uerò celeusma, quod &
Assa uox. celeuma dicitur, in nauibus classiaris assa uoce in-
 terdum: interdum tibia canebatur, ita ut remiges pro-
 modulorum, atque harmoniæ ratione uel concita-
 rent, uel inhiherent remos. Pædianus autor est, cani
Symphoniaci serui. remigibus celeuma per symphonicos seruos solitum
 olim esse, & per assam uocem: id est, ore prolatam, &
 (ut in Argo naui) interdum per citharam. Cicero in
 Verr. Act. I. Ab hac muliere Præfectus Antonij qui-
 dam symphonicos seruos abducebat per iniuriam,
 quibus se in classe uti uelle dicebat. Quem locum Ci-
 ceronis Ascon. Pædianus exponens, Possumus, in-
 quit, intelligere ad hoc symphonicos seruos capi so-
Classicum unde dictum. lere, ut in classe classicum pugnantibus canant: unde
 ipsi tubæ classis, classicum nomen est positum. CE-
Helciarij. LEUMA ITEM, ut nauæ, faciunt Helciarij: id
 est, qui onera funibus moliuntur: uel qui naues de-
 ducunt, subducunt'ue, ad officia inuicem sese adhor-
 tantes, ut uno connixu pariter conspirantes, admoli-
 ri uniuersis uiribus possint, quod singulis nequeunt:
 ut fieri sæpe uidimus Venetis in loco, qui lingua ue-
 neta Douana uulgò appellatur.

SIC

SIC IGITUR ostensæ sint nauigiorum appellationes, atque nauium partes. Nunc ad ipsa nauis exempla descendo, si te id prius admonuero, quod per se tamen satis notum est, naues scilicet dici tam in fluminibus, quàm in mari ipso: nauibus enim usus est Cæsar & in Ligeri, & in mari siue Britannico, siue Africo. Sed hoc quidem uulgare est. Exempla igitur proferantur.

Cicero ad Att. VIII. Ut omnes copiæ nauibus Dirrhachium transportarentur.

Idem de Natur. Deor. Quæsiuit, num etiam in ijs nauibus Diagoram uehi crederent.

Cæsar de Bello Gall. lib. III. Naues, quamplurimas possunt, cogunt.

Idem de Bell. Gall. lib. IIII. Naues, quæ equites sustulerant, ex superiori portu leni uento soluerunt.

Nauem comparare.

Cæsar de Bello Ciuil. lib. II. Paucis antè diebus L. Domitius cognita Mafsiliensium uoluntate, nauibus tribus comparatis, ex quibus duas familiaribus suis attribuerat, unam ipse conscenderat, nactus turbidam tempestatem, est profectus.

Nauem ædificare.

NAUEM ædificare, ferè absurdum, aut nouum multorum auribus uideri possit: est tamē loquendi modus apud ueteres usitatissimus, & pulcherrimus.

Cicero in Verr. Actio. VII. Nauem maximam triremis instar pulcherrimam, atque ornatissimam,

I

z

palàm

palàm ædificatam sumptu publico, sciēte Sicilia per magistratum, senatumq̃ Mamertinum tibi datam, donatamq̃ esse dico.

Ibidem: Legati principes & publicè tibi nauem ædificatam, & priuatim seipfos abs te spoliatos, expilatosq̃ esse dixerunt.

Ibidem: Nauem denique maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendā, ædificandamq̃ curauit.

Cæsar de Bello Gallico lib. V. Legatis imperat, quos legionibus præfecerat, ut quamplurimas possent, hyeme naues ædificandas, ueteresq̃ reficiendas curarent.

Nauem instruere.

Cicero in Verr. Act. VII. Ea est ratio instructarum nauium, ornatarumq̃, ut non modò plures, sed ne singuli quidem possint accedere.

Nauem sumere.

NAVEM sumere dicitur gubernator nauis, uel uectores etiam ipsi.

Cic. Off. III. Quoad peruentum sit eò, quò sumpta nauis est, non domini est nauis, sed nauigantiū.

Ascendere ad nauem.

CONSCENDERE nauem hîc etiam annotari posset: sed aliò id seruamus, ubi non minus quadrabit.

Cicero in Academic. Ita sermone confecto, Catus lus remansit; nos ad nauiculas nostras ascendimus.

Nauem

Nauem incitare se.

Cæsar de Bell. Ciuil. lib. II. Cōspicatae naues triremes duæ nauem D. Bruti, quæ ex signo facile agnosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitauerunt.

Nauem gubernare.

Cicero in Pis. Non tam fui timidus, ut, qui maximis turbinibus, ac fluctibus Reipublicæ nauem gubernassem, saluamq; in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem.

Nauem tenere, pro gubernare.

Cic. famil. XII. Vna nauis est iam bonorum omnium; quã quidem nos damus operã, ut rectã teneamus; utinam prospero cursu. Translata locutio.

Nauem ex portu educere.

Cæsar de Bello Ciuil. lib. I. Ita cognito hostium aduentu, suas naues ex portu educunt.

Nauem deducere.

Cæs. de Bell. Ciuil. lib. II. Appulsis Mesanarum nauibus, atq; inde propter repentinum terrorem principum, ac Senatus fuga facta, ex naualibus eorum unam deducit.

Nauem subducere.

Cæs. de Bell. Gall. lib. V. Etsi res erat multæ operæ, ac laboris, tamen commodissimum esse statuit, omnes naues subduci, & cum castris una munitione iungi.

Ibidem: Subductis nauibus, cōcilioq; Gallorum

1 3

Samaro

Samarobrinæ peracto, coactus est aliter, ac superioribus annis, exercitum in hybernis collocare.

Nauem ad terram detrahere.

Cæsar de bello Alexand. IIII. Quibus de causis naues, quas potuit Cæsar, ad terram detraxit.

Nauem constituere.

Cæsar de bello Gall. lib. IIII. Aperto, ac plano littore naues constituit.

Ibidem: Erat ob has causas summa difficultas, quòd naues propter magnitudinē, nisi in alto, constitui non poterant.

E' naui egredi, desilire, uel è naui se proñcere.

Cic. ad Att. X IIII. E' Pompeiano naui aduectus sum in Luculli nostri hospitium; egressus autem è naui, accepi tuas literas.

Idem in Vatin. Mercatores è naui egredientes terrere.

Cæs. de Bell. Gall. lib. IIII. Hostes uerò, notis omnibus uadis, ubi ex littore aliquos singulares è naui egredientes conspexerant, incitatis equis, impeditos adoriebantur.

Ibidem: Hūc illi è naui egressum, cum ad eos imperatoris mandata perferret, compræhenderant, & in uincula coniecerant.

Ibidem: Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, uniuersi ex naui desilierunt.

Ibidem: Hoc cum magna uoce dixisset, se ex naui proiecit.

Nauem

Nauem frangere.

Terent. in And. Nauem is fregit apud Andrum insulam.

Nauem euertere.

Cic. de Orat. I. Citius hercule is, qui duorū scalamorum nauiculā in portu euerterit, in Euxino ponto Argonautarum nauem gubernarit.

Idem de Finib. IIII. Ecce aliud simile dissimile, ut enim, inquit, gubernator æquè peccat, si palearū nauem euertit, & si auri: item æquè peccat, qui parentem, & qui seruum iniuriā uerberat.

Nauem deprimere.

N A V E S deprimi dicuntur, cum tormentis bellicis dissolutæ submerguntur.

Cic. pro Leg. Manil. Dico eius aduentu ab eodē imperatore classē magnam, & ornatam, quę ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse, atq; depressam.

Idem pro Arch. Poëta. Nostra semper feretur, & prædicabitur L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depressa hostiū classis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis.

Cæsar de Bell. Ciuil. II. Quare animaduersa, quæ proximæ ei loco ex Bruti classe naues erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterq; ambas deprimunt.

Ibidem: Partem nauium deprimunt; nonnullas cum hominibus capiunt.

Idem

Idem de Bell. Alexand. lib. I I I I. Capta est una hostium quadriremis; depressa est altera.

Naues interire.

Cæsar de Bell. Ciuil. lib. I. Eo die naues Massiliensium cum ijs, quæ sunt captæ, intereunt nouem.

Nauem reficere.

Cæsar de Bell. Gallic. lib. V. Obsidibus acceptis exercitum reducit ad mare; naues inuenit refectas.

Idem de Bell. Ciuil. lib. I I. Quas naues ex prædonum bello subductas P. Actius reficiendas curauerat.

Idem de Bello Alexand. lib. I I I I. Posteaquam Ganymedes in concilio confirmauit, sese & eas, quæ essent amissæ, restitutum, & numerum adaucturum, magna spe, & fiducia ueteres reficere naues instituerunt.

N A V I C V L A.

N A V I C V L A est parua nauis, qua uel in mari, uel in flumine circūuehimur; ut Lugduni uidere est nauiculis Ararim trañci. Lingua uulgari nauiculam Lugdunenses uocant, une beche.

Cic. post reditum ad Quirit. Cum parua nauicula traiecit in Africam. Idem in Acad. Nos ad nauiculas nostras ascendimus.

N A V I G I V M.

N A V I G I V M dicitur omne genus nauis, quo
nauis

nauigamus. Et nulla ferè locutio nauis conuenit, quæ nauigio conuenire non possit.

Cic. ad Att. X V. Prorsus dissolutum offendi nauigium, uel potius dissipatum.

Idem: Suntq; nauigia prætereà luculenta Sexti Bucillani.

Idem in Academ. Si iam ex hoc loco proficiscatur Puteolos stadia triginta, probo nauigio, bono gubernatore, ac tranquillitate, probabile uideatur, illuc uenturum esse saluum.

Idem de Nat. Deor. Arborum sectio magnos usus adfert ad nauigia facienda.

Cæs. de Bell. Alexand. lib. IIII. Itaq; expeditis nauigijs, insidiabantur nostris comitatibus.

Ibidem: Hi primum nauigia hostium lapidibus, ac fundis repellebant.

Idem de Bell. Ciuil. libro I. Actuaria nauigia relinquit.

NAVIGIOLVM.

NAVIGIOLVM diminutiuum est à nauigio. Lentulus famil. 17. Nos uix ipsi singulis cum nauigiolis reciperemur.

NAVALIS.

NAVALIS adiectiuum, est ad nauem perti-
nens: ut pugna naualis; corona naualis (qua dona-
ri so-
*Naualis adiec-
tiuum.*

m

ri so

ri solebat, qui primus in hostium nauem armatus transiisset) & similia. Cic. pro Leg. Manil. Omnibus naualibus pugnis Carthaginenses homines in maritimis rebus exercitatissimos, paratissimosque uicerunt. Idem pro Mur. Quid? illam pugnam naualem ad Tenedum, cum contento cursu, acerrimis ducibus hostium classis Italiam spe, atque animis inflata peteret, mediocri certamine, & parua dimicatione commissam arbitraris? **NAVALE SUBS**
STANTIVVM. Nauale substantiuum locus est, in quo stant, uel fieri solent naues. Cic. de Orat. I. Si M. Antonio pro Hermodoro fuisset de naualium opere dicendum, non, cum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio, copioseque dixisset. Cæs. de Bell. Ciuil. lib. II. Vna erat turris proxima portui, naualibusque. Idem de Bell. Alexand. IIII. Tametsi amplius centum decem nauibus longis in portu, naualibusque amiserant, non tamen reparandae classis cogitationem deposuerunt. Ibidem: Naues ueteres erant in occultis Regiae naualibus. Vergil. Diripiuntque rates alij naualibus. Ouid. Metamor. III. Haud aliter, quam si siccum nauale tenerent.

Nauale substantiuum.

NAVTA.

NAVTA dicitur, qui in naue est ducendae nauis gratia.

Cic. famil. XVI. Solent nauae festinare quaestus sui causa.

Idem

Idem ad Attic. IX. Ego nautas eum non putabam habiturum.

Terent. in Phormi. Saluas audiui ex nauta, qui illas uexerat.

NAV T I C V S.

NAV T I C V S est ad nautam pertinens.

Cicero ad Attic. XIII. Inhibere illud tuū, quod ualde mihi arriserat, uehementer displicet. Est enim uerbum totum nauticum.

Idem pro Leg. Manil. His temporibus non pudebat magistratus Populi Romani in hunc ipsum locum ascendere, cum eum uobis maiores uestri exuuijs nauticis ornatum reliquissent.

Idem de Nat. Deor. II. Propter nauticarum rerum scientiam plurimis maritimis rebus fruimur,

Vergil. Aeneid. III.

Nauticus egreditur uario certamine clamor.

NAV I C V L A T O R.

NAV I C V L A T O R est, qui nauē gubernat: uel dicuntur nauiculatores, qui meritorias naues habent, quiq; nauium sunt domini. Eos nunc uulgo patronos appellamus. Atq; eadem ferè significatione sunt, uel omnino potius, nauiculatores, naucleri, & nauicularij.

Cicero pro Leg. Manil. Maiores uestri sæpe mercatoribus, ac nauiculatoribus iniuriosius tractatis, bella gesserunt.

m 2 Nauicul

NAVICVLARIVS.

NAVICVLARIVS eandem significationem habet, quam nauiculator.

Cicero famil. X VI. Mare magnum, & difficile tibi restat. Si poteris cum Mescinio : cautè is solet nauigare. sin minus, cum honesto aliquo homine, cuius autoritate nauicularius moueatur.

Idem ad Attic. I X. Ego nautas eum non putabā habiturum, ille confidebat, & eò magis, quòd audita nauicularijs hominis liberalitas esset.

Idem in Verr. Act. V I I. Malo te isti generi hominum, quàm mercatoribus, & nauicularijs inimicum, atque infestum putari.

NAVICVLARIA.

IN HOC nomine subintelligi solet ars: sic erit ars nauicularia. Profert uerò pulchrum loquendi modum, scilicet nauiculariam facere: de quo multa scripsimus primo Tomo, Columna 839. cùm etiam annotarem, quid sit, argentariam facere: uellaturam facere: Aruspicinam facere: Piraticam facere. De quibus omnibus loquēdi generibus ad eum primi Tomi locum recurre, quem modò citaui.

*Nauiculariam
facere.*

NAUCLERVS,

Nauclerius, Naucleriacus.

ANTIQUAE sunt hæ tres uoces: quas tamen

men prætermittendas nō existimaui. Dicitur autem Naucerus, qui nauem regit. Naucerus, uel Nauceriacus, ad nauerum pertinens.

Plaut. in Mil. Cubare in nauis lippam, atq; oculis turgidis nauerus dixit, qui illas aduexit, mihi.

Idem in Asinar. Volo mei patris me similem: qui causa mea nauerio ipse ornatus per fallaciam, quam amabam, abduxit ab lenone mulierem.

Idem in Milit. Facito, ut uenias huc ornatus naueriacus.

NAVARCHVS.

NAVARCHVS appellatur nauis princeps, qui in nauis nautis imperat.

Cicero in Verr. Act. VII. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, cæterisque rebus, nauarcho suo quæque ciuitas semper dare solebat.

Ibidem: Ego culpam non in nauarchis, sed in te fuisse demonstro.

CLASSIS.

CLASSIS significatio aliquantum uaria est, spectatq; ad rem nauticam: uel extra rem nauticam uersatur. Extra rem nauticam ponitur pro ordine. *Classis pro ordi* Certum est enim ex Tito Liuius, & alijs rerum Romanarum scriptoribus, Populum Romanum in classes quinque ex censu fuisse distributum. Inde dicebantur primæ classis alij; alij secundæ; alij superioris, uel

m 3 inferioris.

inferioris. Sic igitur ponitur classis pro ordine. Cic. pro Flacc. Quæ scisceret plebs: aut quæ populus iuberet summota concione, distributis partibus, tributim, & centuriatim descriptis ordinibus, classibus, ætatibus, auditis autoribus, re multos dies promulgata, & cognita, iuberi, uetariq; uoluerunt. Idem Philipp. I I. Prima classis uocatur, renunciatur, &c. Idem in Academic. Quis Democritum non anteponit Cleanthi, Chrysippo, reliquisq; inferioris ætatis? qui mihi cum illo collati, quintæ classis uidentur. Id est, tenuissimi, & minime autoritatis. Quinta enim classis postrema erat apud Romanos. Ex hac classis significatione dicitur CLASSICVS. Classicus autem appellatur non omnis, qui in classibus est, sed primæ tantum classis homo: cui opponitur capite census, uel proletarius. Inde uocantur Classici testes: Classici autores, de quibus omnibus satis fusè primo Tomo scripsimus. AD REM NAUTICAM PERTINENS. Ad rem nauticam pertinens ponitur pro nauī: uel pro nauium multitudine. Id uerò diligenter obserua, omnia loquendi genera, quæ nauī attribuimus, classi etiam cōuenire posse. Vt enim dicimus nauem comparare, ædificare, instruere, frangere, euertere, deprimere, reficere: ita ea omnia eleganter de classe dicere possumus. Cū pro nauī sola, uel pro nauium multitudine sumitur, facilè per te in exemplis sequentibus annotabis. Itaque ea non distinguam:

Locus Cic. expositus.

Classicus.

Classis ad rem nauticam pertinens.

stinguam : tantùm faciam, ut uberiora à me afferantur, rei magis demonstrandæ causa.

Cicero in Verr. Act. VII. Naues, quibus præfuerat, Cleomeni tradidit : classi Populi Romani Cleomenem præesse iubet.

Idem pro Leg. Manil. Qui maximas ædificasset, ornassetq; classes.

Idem pro Flacc. Hac classe M. Crassus ab Eno in Asiam : his nauibus Flaccus ex Asia in Macedoniã nauigauit.

Idem in Orat. Qui Pœnos classe deuicit.

Cæsar de Bello Ciuil. lib. III. Magnam ex Asia, & Aegypto classem coëgerat : magnam omnibus locis ædificandam curauerat.

Ibidem : Libo profectus ab Orico cum classe, cui præerat, nauium quinquaginta Brundusium uenit.

Idem de Bello Alexand. lib. IIII. Bello Alexandrino conflato, Cæsar Rhodo, atque ex Syria, Ciliciãq; omnem classem accersit.

Ibidem : Tametsi amplius centum decem nauibus longis in portu, naualibusq; amiserant, non tamen reparandæ classis cogitationem deposuerunt.

Ibidem : Itaq; omni studio ad parandam classem incubuerunt.

Ibidem : Propterea quòd ei, qui intrassent ad explicandam classem, & ad receptum, si durior accidisset casus, impeditiores fore uidebantur.

Ibidem : Cùm Vatinium classem magna ex parte ex

te ex

te ex nauiculis actuarijs habere cognouisset, confusus sua classe, substitit ad insulam Thauridem.

Verg. Aeneid. v l. Sic fatur lachrymans, classisq;
immittit habenas.

Ibidem: Lyciæ ductorem classis Orontem.

T E M P E S T A S.

P A R A T A naue, uel classe, tempestatem aucupari solemus: qua uel bona, uel mala utimur. In utranq; enim partem ponitur, ut mox ostendemus, si te prius admonuerimus, tempestatis significationē, quæ pro tempore, uel ætate est, primo Tomo à nobis tractatam: tractatam quoque eodem Tomo esse, quæ pro motu, & per turbatione translata usurpatur. Hoc igitur loco uox marina est, poniturq; tam in malam, quàm in bonam partem. Neq; uerò semper ad rem marinam pertinet: sed nonnunquam extra rem marinam est. Quem uniuersum usum suis distinctè exemplis probabimus.

E X T R A R E M M A R I N A M.

V T distinctionem nostram, qua usus huius uocis exempla separatim tradimus, facilius intelligas, in summa, id te habere uelim: tempestatem scilicet genus esse cœlestis iniuriæ, quæ cum in terra uersatur, tempestatē extra rem marinam notamus. Cum uerò mare turbat, tunc ad rem maritimam pertinere uolumus: uel, si ita mauis, ad rem ipsam marinā.

Cicero pro Rosc. Amer. Sæpe uentis uehementioribus,

tioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit.

Idem in Verr. Act. V I. Erat hyems summa, tempestas perfrigida, imber maximus, cum iste imperat licitoribus, ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, precipitem in forum deiciant, nudumque constituent.

Idem in Verr. Act. V II. Urbem Syracusas elegerat, cuius hic situs, atque hæc natura esse loci, cælique dicitur, ut nullus unquam dies tam magna, turbulentaque tempestate fuerit, quin aliquo tempore solem eius diei homines uiderent.

Idem Philipp. V. Hæc causa, cur lex tam egregia maximo imbri, tempestate, uentis, procellis, turbiniibus, inter fulmina, & tonitrua feratur.

Idem de Orat. I I. Ut homines labore assiduo, & quotidiano assueti, cum tempestatibus causa opere prohibentur, ad pilam se, aut ad talos, aut ad tesseras conferunt: aut etiam nouum sibi ipsi aliquem excogitant in ocio ludum: sic illi à negocijs publicis, tanquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut uoluntate sua feriati, totos se alij ad poetas, alij ad Geometras, alij ad musicos contulerunt.

Idem de Nat. Deor. I I. Nec uerò ita refellendum est, ut, si segetibus, aut uinetis cuiuspiam tempestas nocuerit: aut si quid è uitæ commodis casus abstulerit: eum, cui quid horum acciderit, aut inuisum deo, aut neglectum à deo iudicemus.

n

Idem

Idem de Diuin. II. Quarum rerum in proximis locis tantæ dissimilitudines sæpe sunt, ut alia Tusculi; alia Romæ eueniat sæpe tempestas.

Cæsar de Bello Gallico IIII. Secutæ sunt continuos complures dies tempestates: quæ & nostros in castris continerent, & hostem à pugna prohiberent.

Cato de re Rust. Dicit uillicus sedulo se fecisse, seruos non ualuisse, tempestates malas fuisse.

AD REM MARINAM PERTINENS:
IDQVE IN BONAM PARTEM.

IN bonam partem: id est, cum commoda est: ut in malam partem: id est, cum est incommoda.

Cic. famil. XIII. Quas ego expectassem Brundisij, si esset licitum per nautas, qui tempestatē prætermittere noluerunt.

Idem famil. XVI. Tempestates, & nauem idoneam ut habeas, diligenter uidebis.

Idem ad Quint. frat. Tu, si ita expedit, uelim quã primum bona, & certa tempestate conscendas, ad meq; uenias.

Ibidem: Tu mi frater, simulac ille uenerit, primam nauigationem (dummodo idonea tempestas sit) ne omiseris.

Idem ad Att. IX. Pridie Quinquatrijs fuit egregia tempestas.

Cæsar de Bello Gall. lib. IIII. Nactus idoneam ad nauigandum tempestatem, soluit.

Idem

Idem de Bello Alex. IIII. Tempestatem idoneam ad nauigandum habuit.

IN MALAM PARTEM.

Cicero famil. X V I. Ibi propter tempestatem ad sextum Idus morati sumus.

Idem pro Cecinn. Vt si quis ex alto, cum ad patriam accessisset, tempestate subito reiectus optaret, cum esset à patria deiectus, eò restitueretur, hoc opinor optaret, ut, à quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in salum, sed in ipsam urbem, quam petebat.

Idem Philipp. V I I. Quanquam non eges consilio, quo uales plurimum, tamen & summi gubernatores in magnis tempestatibus à uectoribus admoneri solent.

Idem de Inuent. I I. Nautæ quidam, cum aduersa tempestate in alto iactarentur, uouerunt, si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei Deo, qui ibi esset, se uitulum immolaturos.

Ibidem : Cum magna in alto tempestatas esset, uis uentorum inuitis nautis in portum nauem coegit.

Ibidem : Sedatis fluctibus, & tempestate iam commutata nauis in portum prouehitur.

Cæsar de Bello Gall. lib. I I I. Hæc eò facilius magnam partem æstatis faciebant, quòd nostræ naues tempestatibus detinebantur.

Idem de Bello Callic. lib. V. Equites ad Cæsarem uenerunt, qui nunciarent superiori nocte maxima

n 2 coorta

coorta tempestate, propè omnes naues afflictas, atq; in littus eiectas esse.

Vergil, Aeneid, I, Luctantes uentos, tempestatēq; sonoras.

V E N T V S.

V E N T V S est aër commotus, atque agitated. Quam uocem ideo hîc propono, quòd tempestatis pars sit, siue commodæ, siue incommodæ.

Cicero famil, V I I, Ventus increbrescit.

Idem famil, X I I I, Pridie Idus Octobris Athenas uenimus, cùm sanè aduersis uentis usi essemus, tardeq; & incommodè nauigassemus.

Idem ad Att, V I I, Brundisium uenimus, usi tua felicitate nauigandi: ita bellè nobis flauit ab Epeiro lenissimus Auster, & mitis.

Idem ad Attic, I X, Ex ea die fuerunt septentriones uenti.

Idem in Academic, Quò quidem maturius uenimus, quòd erat constitutum, si uentus esset, Lucullo in Neapolitanū: mihi in Pompeianum nauigare.

Cæsar de Bello Gall, lib, V, Ad solis occasum naues soluit, & leni Africo prouectus media circiter nocte uento intermisso cursum non tenuit.

Idem de Bello Alexand, lib, I I I I, Ipse necessario Etesijs tenebatur, qui Alexãdria nauigantibus sunt aduersissimi uenti.

Terent, in Eunuch, Cape hoc flabellum, & uentulum huic sic facito, dum lauamur.

Ventum expectare.

Cic. Torqueor, utrum uentum expectem.

Idem: Cùm intempesta nox esset, mansissemq; in uilla P. Valerij, comitis, & familiaris mei, postridieq; apud eundem uentum expectans manerem, municipes Reghini complures ad me uenerunt.

Ventum nancisci.

Cæsar de Bell. Gall. lib. I I I I. His dimissis & uentum, & æstum uno tempore nactus secundum, dato signo, & sublatiis anchoris circiter milia passuum octo ab eo loco progressus, aperto, ac plano littore naues constituit.

Idem de Bello Ciuil. lib. I I I. Cassius secundum nactus uentum, onerarias naues circiter quadraginta præparatas ad incendium immisit.

Ibidem: Quibus rebus permotus Cæsar Brundisium ad suos seuerius scripsit, ut nacti idoneum uentum ne occasionem nauigandi dimitterent.

Idem de Bello Africo: Quæ naues uentum secundum nactæ quarto die in portum ad Ruspina in columes peruenerunt.

Ventum habere.

Cicero famil. X V. Existimabam M. Bibulum Proconsulem, qui circiter Idus sextiles ab Epheso in Syriam nauibus profectus erat, quòd secundos uentos habuisset, iam in prouinciam suam peruenisse.

Vento se dare.

Cæsar de Bello Gall. lib. I I I. Accedebat, ut, cùm sequere uentus cœpisset, & se uento dedissent, & tem-

n 3 pestatem

pestatem ferrent facilius, & in uadis cōsisterent tutius, & ab æstu derelictę nihil saxa, & cautes timerēt.

CVM TRANSLATIONEM HABET.

Ventus cum translatione.

TRANSLATIONEM habet aliquādo hoc nomen, & pro re, quæ tractatur, significationem assumit. Non enim semper eadem significatione est. Cic. famil. II. Habemus hæc omnia: bonorum studium conciliatum ex tribunatu, propter nostram causam: uulgi, ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturæ: iuuentutis, & gratiosorum in suffragijs studia, propter ipsius excellentem in eo genere uel gratiam, uel diligentiam: nostram suffragationem si minus potentem, at probatam tamen, & iustam, & debitam, & propterea etiam fortasse gratiosam. Dux nobis, & autor opus est, & eorum uentorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator. Idem ad Att. II. Quid si etiam Cæsarem, cuius nunc uenti ualde sunt secundi, reddo meliorem? Idem pro Cluen. Condemnato Oppianico, statim Luc. Quintius homo maximè popularis, qui omnes rumorum, & concionum uentos colligere consuesset, oblatam sibi facultatem putauit, ut ex inuidia Senatoria posset crescere, quòd eius ordinis iudicia minus iam probari populo arbitrabatur. Ibidem: Omnes intelligimus in istis subscriptionibus uentum quendam popularem esse quæsitum.

Vento

VENTOSVS.

VENTOSVS est uento plenus : ut uentosa regio. Translate uerò ponitur pro inani, uel iactantiore. Cic. Philipp. X I. Extraordinarium semper imperium populare, atq; uentosum est, minimè uestræ grauitatis, minimè huius ordinis. Brutus Cic. famil. X I. In primis rogo te, ad hominem uentosissimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, Antonio sibi cõiuncto. Plin. in Paneg. Superbiebat uentosa, & insolens natio.

A V R A.

A V R A est uentorum uis. Distingunt tamen auram à uento nonnulli, quòd aura sit leuior : uentus uehementior. Ponitur autem aura pro omni genere uenti : & interdum pro aère.

Cæsar de Bello Ciuil. lib. I I I. Huic officio præpositus erat F. Calenus legatus, qui celeritatem in transportandis legionibus adhiberet : sed serius à terra prouectæ naues, neque usæ nocturna aura, in redeundo offenderunt.

Vergil. Aeneid. I I I I. At illi
Dulcis compositis spirabat crinibus aura.

Idem : Quòd si fata uirum seruēt, si uescitur aura
Aetherea.

Idem : Quippe ferant rapidi secum, uerrantq; per
auras.

Transl

TRANSLATIONEM HABENS.

PER translationem dicitur aura facilitas, uel ambitioni studium inferuiens; uel popularis fauor.

Cicero pro Mur. Totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris.

Idem de Arusp. Resp. Sulpitium ab optima causa profectum, & C. Thuscio consulatum contra leges petenti resistantem, longius, quam uoluit, popularis aura prouexit.

Idem pro Sest. Quem neque periculi tempestas, nec honoris auram potuit unquam de suo cursu dimouere.

Vergil. Aeneid. VI.

Iam quoque nunc nimum gaudens popularibus auris.

FLATVS.

FLATVS est uentus, uel aura. Cicero de Nat. Deor. II. Quam tempestiuos dedit, quam salutare non modo hominum, sed etiam pecudum generi: is denique omnibus, quæ oriuntur è terra, uentos Etesias: quorum flatu nimij temperantur calores, &c.

Idem in Arat. Aestiferos ualidis erumpit flatibus ignes. Ibidem: Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri. Luc. lib. I. Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.

CVM TRANSLATIONE. Cicero de Orat. II. Ad id, unde aliquis flatu ostenditur, uela do. Idem Offic. II. Cum prospero flatu fortunæ utimur, ad optatos exitus prouehimur: &

cum

*Cum translatio-
ne.*

cùm reflauit, affligimur. FLAMEN. Flamen est *Flamen.*
 flatus, uel uentus. Cic. de Natur. Deor. Quem sum-
 ma à regione Aquilonis flamina pulsant. Idem in
 Arat. Inferior paulò est Aries, & flamen ad Austri
 Inclinator. PRAETER HANC SIGNIFI- *Flamen pro sa-*
 CATIONEM dicitur flamen sacerdos unius ali- *cerdote.*
 cuius dei antistes, ut apud Ciceronem de Leg. Diuis
 alijs alijs sacerdotes, omnibus pontifices, singulis fla-
 mines sunt. Idem pro Domo sua: Itaque Populus
 Romanus breui tempore neq; regem sacrorum, ne-
 que flamines habebit. Idem pro Mil. Eo die Miloni
 iter erat Lanuuium ad flaminem prodendum, quòd
 erat Dictator Lanuuij Milo. REFLECTVS. Re- *Reflectus.*
 flatus est uentus contrarius. Cic. ad Att. XII. Hic
 rumor est, naues delatas in Vticam reflectu. PRO-
 XIMORVM nominum uerba sunt flare, & refla-
 re. FLARE. Cicero ad Attic. Ita bellè nobis flauit *Flare.*
 ab Epeiro lenissimus Auster, & mitis. REFLECTARE. *Reflectare.*
 Cicero ad Attic. VI. Rhodum uolo puerorum cau-
 sa: inde quamprimum Athenas: etsi Etesig ualde re-
 flauerint. Idem in Tusc. Si reflantibus uentis reijcia-
 mur, tamen eodem paulò tardius referemur.

AESTVS.

AESTVS hoc loco ponitur pro motu, & agi-
 tatione fluctuum. Cicero de Orat. III. Undique
 omnes uenti erumpunt, saui existunt turbines, fer-
 uet aestu pelagus. Idem de Natura Deorum II. Pos-
 sent

sent'ne æstus maritimi, fretorumq; angustia ortu,
aut obitu lunæ commoueri? Ibidem: Enumerari nō
possunt fluminum opportunitates: æstus maritimi
multum accedentes, & recedentes. Idem de Diuina
tion. Quid de fretis, & æstibus maritimis plura di-
cam? Cæsar de Bello Gallico lib. III. Erant eiusmodi
ferè situs oppidorum, ut posita in extremis lin-
gulis, promontorijsq;, neque pedibus aditum ha-
berent, cum ex alto se æstus incitauisset: neque na-
uibus, quòd rursus imminente æstu, naues in uad-
is afflictaentur. Ibidem: Accedebat, ut, cum sæ-
uire uentus coepisset, & se uento dedissent, & tem-
pestatem ferrent facilius, & in uadis consisterent tu-
tius, & ab æstu derelictæ, nihil saxa, & cautes time-
rent. Idem de Bello Gallico lib. V. Ad solis occa-
sum naues soluit, & leni Africo prouectus, mediâ
circiter nocte uento intermisso cursum non tenuit,
& longius delatus æstu, orta luce sub sinistra Bri-
tanniam relictam conspexit. Tum rursus æstus cō-
mutationem sequutus, remis contendit, ut eam par-
tem insulæ caperet, quâ optimum esse egressum su-
periore æstate cognouerat. IN EA SIGNIFI-
CATIONE non semper manet hoc nomen, sed
ponitur etiam pro calore nimio, uel feruore. Cice-
ro in Catilinam: Vt sæpe homines ægri, morbo gra-
ui, cum æstu, febricq; iactantur, si aquam gelidam
biberint, prius releuari uidentur; deinde multo gra-
uius, uehementiusq; afflictantur: sic hîc morbus,
qui est

*Aestus extra si-
gnificationem
maritimam.*

qui est in Republic, releuatus istius poena, uehemen-
 tius uiuis reliquis ingrauescet. **AB V T R O Q V E**
 proximo significato ad alia per saepe transfertur;
 ducitur que translatio uel ab aestu marino: uel a ca-
 lore. Cicero de Orat. III. Quò cum ingressus esses,
 repente te quasi quidem aestus ingenij tui procul a
 terra abripuit, atque in altum a conspectu omnium
 penè abstraxit. Idem in Brut. Hunc quoque absor-
 buit aestus quidam gloriae. **A E S T V M** per trans-
 lationem posuit Plinius Iunior pro scrupulo, uel du-
 bitatione non mediocri. Id quod primo Tomo an-
 notauimus. **A E S T V A R E**. Aestuare algendi si-
 gnificato opponitur. Cicero de Arusp. Respons.
 Ille exanguis, atque aestuans se è curia repente pro-
 ripuit. Idem Tuscul. II. Licurgi leges laboribus
 erudiunt iuuentutem, uenando, currendo, esurien-
 do, sitiendo, algendo, aestuando. Idem in Academ.
 Ille, cum aestuaret, umbram secutus est. **T R A N S**
L A T E P O S I T V M. Translatè positum hoc
 uerbum accipi solet pro angere, uel dubitatione tor-
 queri: uel cum aegritudine animi sollicitum esse. Que
 translatio duci potest a personatis. Cum enim per-
 sona non est apta ori, fit, ut facies aestu laboret: qua-
 re statim is, qui personatus est, cupit exui persona,
 quæ incommoda, & inhabilis ipsi est. Cicero in Ver-
 rem Actio. IIII. Quod ubi auditum est, aestuare
 illi, qui dederant pecuniam: putare nihil agi posse
 absente Epicrate. Ibidem: Itaque aestuabat dubita-

Cum translatio-
ne.

Aestuare.

Translatè posi-
tum.

o z tione

Aestuosus. tione, uersabat se in utranque partem. Idem pro Flacc. Hunc æstuantem, & tergiuersantem iudicio ille prosequitur. **AESTUOSVS.** Aestuosus est calore, uel feruore plenus. Cicero ad Attic. V. Nūc iter conficiebam æstuoſa, & puluerulenta uia. Columella; Cœlum neque niuale uinea, nec rursum æstuosum desiderat. **AESTUARIA.** Aestuaria dicuntur loca, per quæ mare uicissim tum accedit, tum recedit: siue quæ marinis aquis referta sunt ex inundationibus pelagi. Plin. lib. III. Illyrici ora mille amplius insulis frequentatur, natura uadosi maris, æstuarijs tenui alueo intercurſantibus. **EXÆSTUARE.** Exæstuarē compositum est ab æstuarē: & significat exundare incremento: poniturque uel propriè, uel translātē. **PROPRIÈ POSITŪ.** Vergil. Fundoꝝ exæstuat imo. Sueton. Fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa uetustate, militari opere deterſit. **TRANSLATÈ.** Justin. lib. I. Quæ materia in his locis passim è terra exæstuat.

FLUCTVS.

DE propria, & translata fluctus significatione bene multa primo Tomo scripsimus: non absurdū tamen uidebitur, si ordini nostro seruiētes, noua huc etiam exempla quædam de proprio significato afferamus.

Cæsar de Bello Gall. lib. IIII. Militibus autem ignotis

ignotis locis, impeditis manibus, magno, & graui onere armorum pressis, simul & de nauibus desiliendum, & in fluctibus consistendum, & cum hostibus erat pugnandum.

Idem de Bello Alexand. lib. IIII. Inde paulò uehementiore tempestate nihilo periculosius se nauigaturum credens, profectus aduersis fluctibus occurrentibus ostio fluminis in ipsis faucibus, cum neque flectere nauem propter uim fluminis, neq; directam tantis fluctibus tenere posset, demersa nauì perijt.

Idem de Bello Afric. Tabernaculum secundum littus ipsum constituit, ut propè fluctus uerberaret.

FLUCTVARE.

FLUCTVARE est fluctibus iactari, uel uacillare. Quod uerbum ponitur propriè, uel translate.

PROPRIÈ POSITVM.

Cic. in Verr. Act. VII. Iam sese in terram è nauì eiecerat, quadrirememq; in solo fluctuantem reliquerat.

Idem in Orat. Quid tam commune, quàm spiritus uiuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? litus eiectis?

Plin. Lapidem è Sciro insula, integrum fluctuare tradunt: eundem comminutum mergi.

TRANSLATE POSITVM.

FLUCTVARE translate positum significat iactari, commoueri, in dubio esse, & instar maris, flu-

o 3 ctibus

ctibus uel opinionum, uel deliberationum agitari.

Cicero ad Attic. i. Fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum nō inutilis, sed me hercule Reip. multò etiam utilior, quàm mihi, cum improborum impetus in me reprimerem, cum hominis amplissima fortuna, autoritate, gratia, fluctuans antem sententiam confirmassem, & à spe malorum ad mearum rerum laudem conuertissem.

Idem ad Att. ii. Tota res etiam nunc fluctuat.

Idem ad Herenn. iiii. Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si peruenire eò non potuerunt, errantes perueniunt ad confine genus eius generis, quod appellamus fluctuans, & dissolutum, eò quòd sine neruis, & articulis fluctuat huc, & illuc, nec potest confirmare, nec uiriliter sese expedire.

Idem in Academic, Sentitis iam hoc me dogma dicere: nihil posse percipi: non debere eos in suo decreto, sicut in cæteris rebus, fluctuare.

V N D A.

V N D A est pars aquæ in se collecta, & in unam partem tendens.

Cicero pro Planc. Campus, atque illæ undæ comitiorum sic efferuescunt quodam quasi æstu, ut ad alios accedant, ab alijs recedant. Translatè hoc loco uocat Cicero undas comitiorum, pro fluctuantibus comitiorum suffragijs.

Idem in Philipp. O' spectaculum non modò hominibus,

*Locus Ciceronis
expositus.*

minibus, sed undis ipsis, & littoribus luctuosum.

Idem in Tuscul. Qui per undas currus suspensos rapuisse feruntur.

I N V N D A R E.

I N V N D A R E ab unda fit: & significat extra ripas diffluere, uel extra alueum fundi.

Cicero de Nat. Deor. I. Locus quidem his etiam naturis, quæ sine animis sunt, suus est cuique proprius: ut terra infimum teneat: hanc inundet aqua: superior aër: ignibus altissima ora reddatur.

I M P O N E R E.

Q V O N I A M de fluuij, fluminis, marisque significatione scripsimus: & deinde nauigiorum genera annotauimus, reliquum est, ut, quæ in mari nauigijs ipsis agimus, eorum uoces ostendamus. Nihil autem naue ipsa ædificata, atque instructa prius agimus, quam in eam onus inferamus, quodcunque illud sit: & id imponere dicunt Latini. Itaque sequitur, ut de huius uerbi significatione necessario scribamus. Imponere uero uarie à Latinis accipitur: quam significationum uarietatem suis separatim locis demonstramus: hicque idem est imponere, quod inferre, uel inuehere, aut ingerere, ut sit in nauem imponere, idem, quod in nauem inferre. Præcipuam tamē quandam cum re nautica affinitatem habere uidetur hoc uerbum, quæ alijs non ita admodū propria est. Id quod
in exem

in exemplis sequentibus nullo negotio per te ipse obseruabis.

Cicero ad Attic. I. Signa nostra, ut scribis, cum commodissimè poteris, uelim imponas.

Ibidem: Si Lentuli nauis non erit, quò tibi placebit, imposito.

Cassius Cic. famil. X I I. Interim cognoui in Cilicia esse classem Dolabellæ amplius, quàm centū naues onerarias, in quas exercitus eius imponi posset.

I N V E H E R E,

& similis significatio
nis uerba.

FACIT modò annotata imponendi significatio, ut sequentia uerba simul hoc loco explicè, quandoquidem oneris sunt. Quòd si non ita appositè, ut proximum uerbum, ad rem nostram quadrent: at tamen non omnino ab hoc loco aliena sunt, & nauis onerandæ apprime conueniunt. Ea igitur explicabo, antequam ad reliquas nauticas uoces progrediar.

*Inuehere.
Propriè positū.*

I N V E H E R E. Inuehere est importare: quod ponitur uel propriè, uel translata. **P R O P R I E.** Propriè positum tam de personis, quàm de rebus dicitur. Cic. pro Mur. Portu soluentibus ñ, qui iam in portum ex alto inuehuntur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum. Idem de Prouinc. Consul. Si in Capitolium inuehi uictor cum illa insigni laurea gestiret,

uos

uos tamen, &c. Idem Offic. II. Omni Macedonum
 gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus: tantum
 in ærarium pecuniæ inuexit, ut unius Imperatoris
 præda finem attulerit tributorum. Idem de Somn.
 Scipion. Cùm eris curru in Capitolium inuectus, of-
 fendes Rempubicam, &c. Idem de Finib. Rex Per-
 ses eodem flumine inuectus. Vergil. Centauro inue-
 hitur magna. TRANSLATE. Cicero in Verr. *Translatè.*
 Act. V I. Quod signũ est ad introitũ Ponti, id, cùm
 tam multa ex illo mari bella emerferint, tam multa
 porrò in Pontum inuecta sint, usque ad hanc diem
 integrum, inuiolatumq; seruatũ est. Idem pro Mur.
 Quem Luc. Sylla maximo, & fortissimo exercitu pu-
 gna excitatum, non rudis Imperator, ut aliud nihil
 dicam, cùm bellum inuectum totam in Asiam esset,
 cum pace dimisit. Idem de Inuent. Incommoda inue-
 cta per aliquem. Idem in Tuscul. Quencunque cas-
 sum fortuna inuexerit, hunc pacatè, & quietè ferat.
 Ibidem: Mala, quæ tibi casus inuexerat. INVE-
 CTIO. Cicero Off. II. Iam uerò & earum rerum, *Inuectio.*
 quibus abundaremus, exportatio: & earũ, quibus
 egeremus, inuectio certè nulla esset, nisi his muneris-
 bus homines fungerentur. ADVEHERE. *Aduere.*
 here, ut inuehere, tam de personis, quam de rebus
 est: conuenitq; transmissioni, ut oneri inferendo:
 quod item proximo uerbo conuenire potest. Et ea-
 tenus aduehere eo loco tractari potuisset, quo uehen-
 di, præteruehendiq; significationem explicamus:

p sed

sed tamen hinc reiiciendum nō duxi, quòd suum hīc etiam locum præclarè teneat ob uocis proximæ coniunctionem. Cicero in Verrem Act. v. Præsertim cum ex iisdem agris, eiusdemq; anni frumentum ex decumis Romam mancipēs aduexissent. Idem Philippic. II. Inde Cassia celeriter ad urbem aduectus domum uenit capite inuoluto. Idem Offic. III. Si quis profectus Rhodum magnum frumenti numerum aduexerit, &c. Idem de Diuinat. Quidam caricas Cauno aduectas uendens, &c. Ibidem: Cum tu equo aduectus, &c. Seruius Cicer. familiar. IIII. Cum ab Epidauro Piræum nauī aduectus essem, ibi Marcellum Collegam nostrum cōueni, eumq; diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. CONVEHERE. Cicero pro Mil. Repentē in tribus in eam insulam materiam conuexit. Plinius lib. XI. de formicis scribens. Semina arrosa condunt, ne rursus in fruges exeant è terra. Et quoniam ex diuerso conuehunt, altera alterius ignara, ut signa recognoscant, certi dies ad recognitionem mutuam dantur. CONVECTOR. Cicero ad Atticum X. Hominem bonum, & doctum, & probum existimo: quin etiam nauī eius me, & ipso conuectore usurum puto: Aliās uectore legitur à nonnullis. EVEHERE. Euehere propriè est è terra in altum uehere: quod quoniam sæpe fit oneris causa, ad hunc locum pertinere uideatur. Attamen nonnunquam tantum pro efferre poni uideas: idq; tam translate, quàm propriè. Cicero in

Conuhere.

Conuector.

Euehere.

ro in

ro in Verrem Actio. III. Non dicam illinc hoc signum ablatum esse, & illud: hoc dico, nullum te Aspendij signū, Verres, reliquisse: omnia ex fanis, ex locis publicis, palam spectantibus omnibus plaustris euecta, asportataque esse. Idem in Brut. Vt semel Pyraeo eloquentia euecta est, omnes peragrauit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis, quasi sanitatem perderet, ac loqui penè dedisceret. FERRE. Mirum est, quàm latè pateat huius uerbi usus, atque significatio. Ex qua uarietate id solūm huc pertinet, quod pro portare est: reliqua suis locis alibi tractata sunt, uel postea tractabuntur: ut ferre suffragia: ferre tribum: ferre centuriam prerogatiuam (dicitur autem tribum, uel centuriam ferre, qui tribum, uel centuriam habet suffragantem) ferre punctum: ferre fructus ex re aliqua, pro percipere: ferre palmam, pro obtinere: ferre responsum: ferre repulsam, pro præteriri in petitione: ferre partem prædæ, pro assequi, uel habere: ferre primas, pro primum locum tenere: ferre tacitum: ferre ad populum de re aliqua, ut constituatur, uel sanciatum aliquid: ferre legem: ferre quæstionem: ferre priuilegium: ferre sententiam: ferre conditionem, pro offerre: ferre fraudem, pro creare: ferre opem, suppetias, auxilium, subsidium: ferre uentrem, uel uterum: ferri magno cursu, & fonsu

Ferre.
Ferendi uaria significatio, & usus.

*Elegans ferendi
significatio.*

sonitu: ferri rapidè: ferri scelere, uel crudelitate: ferre pro tolerare, uel pati (& tunc eleganter ponitur cum nominibus, uel aduerbijs quibusdam) præ se ferre: ferre in cœlum laudibus: ferre in oculis, pro eo quod est, amare, & charũ habere: ferre aliquid expensum alicui. Hi omnes loquendi modi sua habent, ut diximus, suis locis exempla. **ALIA LOQUENDI** genera ex hoc item uerbo ducuntur: ut apud Ciceronem ad Atticum: Nos, ut opinio, & spes, & coniectura nostra fert, tuti sumus: id est, ut opinamur, & speramus. Idem pro Cluent. Quod nemo uestrum, ut opinio mea fert, ignorat. **PAULO** **DIVERSIS** in exemplis sequentibus ponitur. Cicero pro Domo sua: Plura dixi, quàm aut opinio mea tulerit, aut uoluntas mea. Idem in Verrem: Sicut opiniones hominum, & religiones ferunt. Ibidem: Tantum relictum est, quantum Apronij libido tulit: id est, quantum Apronio libuit. Ibidem: Prout Thermitani hominis facultates ferebant. Idem in famil. Meæ rationes ita tulerunt. Ibidem: Velim, ita fortuna tulisset. Ibidem: Si occasio tulerit. Ibidem: Quid res, quid tempus, quid causa ferat, tu perspicias. Ibidem: Si ita tempus ferret. Idem ad Quint. frat. Ad me, ut tempora nostra, non ut amor tuus fert, uerè perscribe. Idem ad Att. Quis hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec uidebatur natura ferre, ut accidere posset? Ibidem: Quencunque fors tulerit casum, subeam, &c. Idem ad Attic.

ad Attic. Grauius, quàm consuetudo tua ferebat. Idem pro Cluent. Vt ætas illa fert. Idem pro Leg. Manil. Si uestra uoluntas feret. Idem contra Rull. Si ita commodum uestrum fert. Idem in Pisonem: Ita existimabam tempora Reipublic. ferre. Idem in Philipp. Si res ita tulisset: id est, si opus fuisset. Idem de Somn. Scip. Natura fert, ut, &c. id est, natura comparatum est. ALIQUANDO ITEM acci-
 pitur pro dicere, uel iactitare. Cicero in Catilinam: Ad huius uitæ studium meditati illi sunt, qui feruntur labores tui: iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, uerumetiam ad facinus obeundum. Idem de Orat. I. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis unà ipsum illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum, & copiosissimum. Ibidem: Si ornate locutus est, sicut fertur, materies illa fuit Phisici, de qua dixit: ornatus uerò ipse uerborum Oratoris putandus est. Idem de Natura Deor. III. Apollinem ex Hyperboreis Delphos ferunt aduenisse. EXTRA
 HÆC, ponitur nonnunquã pro producere: id quod tã translate, quàm propriè. Cic. de Leg. II. Quæ terra fruges ferre, & ut mater, cibos suppeditare possit, uetat, ne quis eam nobis minuatur neue uiuus, neue mortuus. Idem in Brut. Hæc ætas primum Athenis Oratorem propè perfectũ tulit. NIHIL OMNINO EX SUPERIORIBVS ad hunc
 locum pertinet: pertinet autem, cum pro portare

Ferre pro dicere, uel iactitare.

Pro producere.

Pro portare.

p 3 ponitur

Circunferre.

ponitur. Cic. ad Quint. frat. Coenatus in hortos ad ad Pompeium lectica latus sum. Idem Philipp. I I. Iste operta lectica latus est per oppidum. Idem in Brut. Eius scripta quædam feruntur. C I R C V N F E R R E. Ferendi multa composita sunt: ut conferre, deferre, efferre, proferre, referre, sufferre, transferre: nulla tamen sunt, quæ magis huic loco conueniant, quàm circūferre, & inferre. De utroq; igitur hîc scribemus. Circunferre autem est circungestare. Cic. in Verrem Act. I I I I. Quæso, codicem circūfer, ostende. Idem pro Cornel. Balb. Cùm ipsius tabulæ circunferrētur inspiciundi nominis causa, fuit nemo ex illis Romanis grauiſsimis uiris, quin remoueret oculos, & se totum auerteret. Idem de Orat. I I I. Sol circunfertur, ut accedat ad brumale signū. I N F E R R E. Inferre est inuehere, importare, uel intrudere: quod exempla habet quædam huc magis pertinentia: quædam certè minus. E X E M P L A H V C M A G I S P E R T I N E N T I A. Sequentia exempla tam personis, quàm rebus conueniunt. Et ex his sunt inferre signa: inferre arma: inferre pedem aliquò: quæ loquendi genera quādo alibi tractauimus, nullis hîc exemplis firmanda sunt. Ad reliqua igitur pergo. Cicero pro Cecinn. Atque etiam se ipse inferebat, & intrudebat. Idem pro Font. Agè uerò, nunc inferte oculos in Curiam: introspicite penitus in omnes Reipub. partes. Idem in Catil. Quò etiam maiore sunt isti odio, supplicioq; digni, qui non

*Inferre.**Exempla huc magis pertinentia.*

non solum uestris domicilijs, atq; tectis, sed etiam Deorum templis, atq; delubris sunt funestos, ac nefarios ignes inferre conati. Idem in Vatin. Cum in templum Castoris te cum tuis furijs funestum intulisti. Ibidem: Repentè te, tanquam serpens è latibulis intulisti. Idem in Pisonem: Sic iste tanto exercitu, tanta prouincia, triennio post Macedonicus Imperator in urbem se intulit, ut nullius negotiatoris obscurissimi reditus unquam fuerit desertior. EXEMPLA HVC MINVS PERTINENTIA. Exempla huc minus pertinentia.

Ex hac inferendi translatione sunt: inferre sermonè: inferre crimè: inferre morã: inferre periculũ: inferre manus: inferre turpitudinẽ: inferre terrorẽ: inferre iniuriam: inferre sumptum: inferre malum: inferre uastitatem: inferre mortem: inferre stuprum: & similia multa, quæ alijs locis à me uel annotata sunt: uel postea annotabuntur. Quædam alia, non annotata, nunc cumulo. Cic. ante Exil. Ea maneat opinio, quæ uirtute parta, non quæ infelicitate illata est. Idem pro Domo sua: Qui ex Pontificis maximi domo religionẽ eripuit, is in meam intulit. Idem pro Flacc. Inferre rationes falsas, & referre in tabulas, quodcunque commodum est. Idem de Orator. Iracundiam simul, atque intuleris, non statim possis commouere. Idem in Offic. Paulus nihil in domum suam intulit, præter memoriam nominis sempiternam. Ibidem: Ille in suam domum Consulatũ intulit. INGERERE. Ingerere est inferre, uel intrudere. Ingerere.

Circungestare.

trudere. Cic. ad Attic. XI. Sed ingero præterita. Terent. in Phor. Nisi sequitur, pugnos in uentrē ingere, uel oculum exculpe. **CIRCUNGESTARE.** Circungestare, est circumferre. Cic. ad Quint.

Portare.

fratr. Eam quoque epistolam T. Catienus circungestat. **PORTARE.** Portare uel illationem oneris habet; uel sustentationem. Cic. ad Quint. frat. Me-

Importare.

mini, cum hominem portaret ad Baias Neapoli octophoro, miros risus nos edere. Idem ad Attic.

XIII. Rumorem afferunt magnum Romæ, domum ad Antonium frumentū omne portari. Idem pro Domo sua: Columnæ marmoreæ ex ædibus

meis ad socerum Consulis portabantur. Idem pro Sest. Arma in templum Castoris palam portabantur. Idem Offic. II. Ad exemplum amissi Imperij,

portari in triumpho Mafsiliam uidimus. Idem in Paradox. Omnia mea mecum porto. **IMPORTARE.** Importare est inuehere, uel inferre. Plura

uerò habet exempla trāslata, quàm propria: ut importare malum: importare incommodum: importare calamitatem: importare damnum: importare

detrimentum: importare suspicionem: importare sollicitudinem: importare egritudinem: quæ omnia loquendi genera suis locis ostensa sunt. Translatæ

sunt hæ importandi locutiones. De propria significatione sequitur exemplū. Cæs. de Bell. Gall. lib. I. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea

quòd à cultu, atque humanitate prouinciæ longissime ab

mè absunt, minimeq; ad eos mercatores sæpe com-
meant, atq; ea, quæ ad effoeminandos animos per-
tinent, non important. Idem de Bell. Gallic. lib. V.
Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis re-
gionibus: in maritimis ferrum, sed eius exigua est
copia: ære utuntur importato. **COMPORTARE.**
Cic. ad Att. V. Frumentum ex agris in loca tu- *Comportare.*
ta comportatur. Idem in Verr. Act. IIII. Omnia
ad istum cõportari necesse est. Idem pro Domo sua:
Cum arma in edem Castoris comportabas. Idem in
Piso. Cum arma in templũ Castoris luce, & palàm
comportarentur. Idem de Orat. III. Apparatu no-
bis opus est, & rebus exquisitis undiq; & collectis,
accerfitis, cõportatis. Cæs. de Bell. Ciuil. lib. I. Ex-
ercitus Afranij omnium rerum abundabat copia:
multum erat frumentũ prouisum, & conuectũ supe-
rioribus tẽporibus: multũ ex omni puincia cõpor-
tabatur. **APPORTARE.** Apportare est adferre. *Apportare.*
Cic. in Verr. Act. III. P. Seruilius, quæ signa, atq;
ornamenta ex urbe hostium sustulit, ea Populo Ro-
mano apportauit. Idem in Verr. Act. V. Secuti sunt
auariores magistratus, qui tamen in auaritia sua nõ
solũ uiam quæstus inuenerunt, uerumetiam exis-
tum, ac rationem defensionis instituerunt: semper
ad ultima, ac difficillima loca apportandum frumẽ-
tum imperare, ut uecturæ difficultate, ad quam uel-
lent æstimationem, peruenirent. Idem in Verr. Act.
VII. In urbe nostra pulcherrima, atq; ornatissima

q quod

Deportare.

quod signum, quæ tabula picta est, quæ non ab hostibus uictis capta, atque apportata sit. Idem Offic. I. Mercatura si tenuis est, sordida putanda est: si magna, & copiosa, multa undique apportans, multisque sine uanitate impertiens, non est admodum uituperanda. Idem de Senect. Aedepol senectus, si nihil quicquam aliud uitij apportet secum, cum aduenit, unum id satis est, quod diu uiuendo multa, quæ non uult, uidet. Cæs. de Bell. Gall. lib. V. Ea, quæ sunt usui ad armandas naues, ex Hispania apportari iubet. **DEPORTARE.** Deportare est adferre, uel reportare: quod tam translato, quam proprio, sæpe ponitur. Cicero familiar. VII. Nihil ex ista prouincia potes, quod iucundius sit, deportare. Idem familiar. XV. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares. Idem ad Attic. I. Illa omnia in Tusculanum deportabo. Idem in Verrem Act. I. Illi quidem, ut est hominum genus nimis acutum, & suspiciosum, non te ex Sicilia literas in Verrem deportare uelle arbitrantur: sed cum in eisdem literis illius Prætoris, & tua Quæstura consignata sit, asportare te uelle ex Sicilia literas suspicantur. Idem in Verrem Act. VII. Tertia illa tua, quam tecum deportabas, erat in omnium conspectu. Idem pro Leg. Manil. Pompeius bellum in Africa confecit, uictorem exercitum deportauit. Idem pro Mur. Aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium,

tium, ac dedecus. Idem pro Domo sua: Hoc simus
 lachrum quidam homo nobilis ad ornatum Aedis
 litatis suæ deportavit. Idem Officior. I. Mihi qui-
 dem certè uir abundans bellicis laudibus Cneus
 Pompeius multis audientibus hoc tribuit, ut dice-
 ret, frustra se tertium triumphum deportaturum
 fuisse, nisi meo in Repub. beneficio, ubi triūpharet,
 esset habiturus. Idem de Senect. Non moderationē
 animi tui, & æquitatem, teq; non cognomen solūm
 Athenis deportasse, sed humanitatem, & prudentiā
 intelligo. Cælius Cic. fam. VII. Mittam, qui Pan-
 theras alant, & eas deportent. S V P P O R T A R E. *Supportare.*
 Cassius Cic. famil. XII. Iam ternis tetradrachmis
 triticum penes Dolabellam est: nisi quid nauibus
 Laodicenorum supportarit, citò fame pereant ne-
 cesse est. Ibidem: Ne supportare possit, & Cassij
 classis bene magna, & tres, quas nos adduximus,
 facile præstabunt. Cæsar: Non hostem uereri, sed
 rem frumentariam, ut commodè supportari posset,
 timere dicebant. Idem de Bell. Ciuil. lib. I. Ciuitates,
 quæ ad Cæsaris amicitiam accesserant, frumentum
 supportare nō poterant. A S P O R T A R E. *Asportare.*
 Asporre est ex aliquo loco in alium deportare. Cic. in Ver-
 rem Act. I. Asportare te uelle ex Sicilia literas suspi-
 cantur. Idem in Verrem Act. III. Dico nullum te
 Aspendij signum reliquisse: omnia ex fanis, ex locis
 publicis palàm plaustris euecta, asportataq; esse. Idē
 in Verr. Act. V I. Est spelunca quædam conuersa

q 2 ad Aqui

ad Aquilonem infinita altitudine, qua Ditem patrē ferunt repentē cum curru extitisse, abreptamq̄ ex eo loco uirginem secum asportasse. Idem in Parad. Cæteri ita fugiebant, ut multa de suis rebus asportarent. Terent. Quoquò hinc asportabitur terrarum, certum est persequi, aut perire. EXPORTA

Exportare. R E. Exportare inuehendi significato opponitur.

Cicero in Verr. Act. III. O' portentum in ultimas terras exportandum. Idem in Verrem Act. IIII.

Dico te maximum pondus auri, magnum numerū frumenti Syracusis exportasse. Ibidem: Cogitate nunc, cū illa sit hæc insula, quæ undique exitus maritimos habeat, quid ex cæteris locis exportatū putetis. Idem pro Leg. Manil. Asia fertilis multitudine earum rerum, quæ exportantur. Idem pro Flacc. In fame frumentum exportare ausus est. Ibidem: Cū frumentum quotannis ex Italia, atq̄ ex omnibus prouincijs exportaretur, &c. Idem in Vatin. Ut inde aurum exportari, argentumq̄ prohiberes. EXPORTATIO. Cicero in Verr. Act. IIII. His exportationibus, quæ recitatae sunt, scribit H S. LX. socios perdidisse ex uicesima portorij Syracusis. Idem Offic. II. Iam uerò & earum rerū, quibus abundaremus, exportatio; & earum, quibus egeremus, inuectio certè nulla esset, nisi his mun

Exportatio.

neribus homines fungerentur. REPORTARE.

Reportare.

Reportare est deportare. Ponitur uerò aliquando translate; & tunc ferè pro consequi accipitur.

Propriè,

Propriè,

PROPRIE. Cicero ad Attic. IIII. Exercitum à *Proprie.*
 Britannia reportabant. Idem in Verrem Act. IIII.
 Quæ tabula tum imperio tuo reuulsa, nunc à me ta-
 men reportata est. Idem in Verrem Act. VI. Statue-
 runt id secum in Syriam reportare. Idem post Red.
 P. Lentuli beneficio non solum reducti sumus in pa-
 triam, sed equis insignibus, & curru aurato reporta-
 ti. Idem cōtra Rull. Si est æquum, prædas, ac manu-
 bias suas Imperatores non in monumenta deorum
 immortalium, neque in urbis ornamenta conferre,
 sed ad Decemuiros, tanquam ad dominos reporta-
 re, nihil sibi appetit præcipuè Pompeius. Sall. in Cis-
 cer. Sed quid ego plura de tua insolentia cōmemo-
 rem? quem Minerua omnes artes edocuit: Iupiter
 Opt. Max. in cōcilium deorum admisit: Italia exulē
 humeris suis reportauit. TRANSLATE PO, *Translate posi-*
 SITVM. Cicer. ad Attic. VI. Planè te intelligere *tum.*
 uolui, mihi nō excidisse illud, quod tu ad me quibus-
 dam literis scripsisses, si nihil aliud de hac prouincia,
 nisi illius beneuolentiam, reportassem, mihi id satis
 esse. Idem in Verrem Act. VII. Ex tua calamitate ci-
 neri, ac ossibus filij sui solatiū uult reportare. Idem
 pro Leg. Manil. Adhuc ita uestri cum illo rege con-
 tenderunt Imperatores, ut ab illo insignia uictoriæ,
 non uictoriam reportarent. Idem de Leg. Nihil præ-
 ter laudem bonis, atque innocentibus, neque ex hos-
 tibus, neq; à socijs est reportandum. ONERARE. *Onerare.*
 Hoc unum est uerbum, quod huic loco maximè con-
 uenit.

uenit. Alia, quæ præcesserunt, non tam certè parte bona conueniunt, quàm accedunt. Sed ea iam explicata sint: ad onerandi significationem uenio. Itaque onerare est onus imponere. Verg. Vina bonus, quæ deinde cadis onerarat Acestes. Terentius in Heaut. Ancillas secum adduxit plus decem, oneratas ueste, atque auro. Idem in Phorm. Ego nunc mihi cesso, qui non humerū hunc onero pallio. TRANSLATUM præter propriam significationē sæpe ponitur. Cicer. famil. IIII. Quibus te mendacijs homines leuissimi onerarunt. Idem famil. IX. Me à te, ut scurrā uelitem, malis oneratum esse, non molestè tuli. Idem de Nat. Deor. III. Animaduerti te, cū in foro diceres, quamplurimis posses argumentis onerare iudicem. Sall. in Cic. Etiam ne aures nostras onerabis tuo odio? Terēt. in Phorm. O fortuna, o fors fortuna, quantis commoditatibus, quàm subito herō meo Antiphoni ope uestra hunc onerastis diem? Idem in Andr. Remittas iam me onerare iniurijs.

Onustus. ONUSTVS. Onustus idem est quod oneratus, uel onere pressus. Cicer. ad Attic. I. Omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modò asellus onustus auro posset ascendere. Idem in Verr. Act. VII. Hæc nauis onusta præda Siciliensi, cū ipsa quoque esset ex præda, simul cū iste decederet, appulsa Veliam est. Idem Offic. III. Si idem sciat complures mercatores ab Alexandria soluisse: nauesq; in cursu frumento onustas petentes Rhodum uiderit, &c.

Idem

Idem de Diuinat. Onusti cibo, & uino perturbata,
 & confusa cernimus. **ONERARIUS.** Onerariū *Onerarius.*
 dicitur, quod oneratur: uel quod oneri ferendo aptū
 est. Vnde dicuntur naues onerariæ à gestandis one-
 ribus. Cicer. ad Attic. X. Occultè in aliquam one-
 rariam corrependum est. Idem de Diuin. Noctu fla-
 grantes onerarias uidebatis. **DEONERARE.** *Deonerare.*
 Deonerare est ex onere demere, uel detrahere: quod
 etiam translattè ponitur. Cicero in Verrem Act. I.
 Quid, cum commiserari, & conqueri, & ex illius in-
 uidia deonerare aliquid, & in te trañcere cœperit?
EXONERARE. Exonerare, ut deonerare, est one- *Exonerare.*
 re aliquid leuare: tamq̃ onus, quàm quod onus fert,
 exonerare dicimus. Constructio uerò est, & re, & ex
 re aliquid exonerari. Terent. in Phorm. Quidnam
 hic sibi uult? G. Et nos amicos eius exonerastis me-
 tu. Plautus: Ita profectò, ut ex hoc exoneretis agro.
ONVS. Onus est pondus, & moles grauans: quod *Onus.*
 ponitur propriè, uel translattè. **PROPRIÈ.** Cice- *Propriè positū.*
 ro pro leg. Manil. Nos quoque, qui antea non mos-
 dò Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in
 ultimis oris autoritate nostri imperij saluos præsta-
 re poteramus, tum, cum insula Delos tam procul à
 nobis in Aegeo mari posita, quò omnes undiq̃ cum
 mercibus, atq̃ oneribus commeabant, referta diuis-
 tijs, parua sine muro nihil timebat, ijdem non modò
 prouincijs, atque oris Italiae maritimis, ac portibus
 nostris, sed etiam Appia iam uia carebamus. Idem
 Tusc.

Tusc. I I. Scutum, gladium, galeam in onere milites nostri nō plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. *Translatè.* TRANSLATE. Oneri siue propriè, siue translatè posito eadem conueniunt locutiones: plura tamen mihi occurrunt translata exēpla, quàm propria. Quare ea diligentius noto: sed tu, quæ uerba in huius nominis trāslatione usurpantur, in proprietate eadem usurpare ne dubita. Nos ad rem. Cicer. famil. I I. Eo si onere carerem, quamuis paruis Italiæ latebris contentus essem. Idem famil. I I I. Hoc nihil ad te: nostrum est onus. Ibidem: Quis ad me nō perscripsit, te non solūm autoritate orationis, sententia tua, sed etiam opera, consilio, domum ueniendo, conueniendis meis, nullum onus officij cuiquam reliquum fecisse? Idem de Orat. I. Magnum est quoddam onus, atque munus, suscipere, atque profiteri se esse omnibus silētibus unum maximis de rebus magno in conuentu hominum audiendum. Terent. in Phorm. Nunquā æquè, ac modò paupertas mihi *Onus imponere.* onus uisum est & miserum, & graue. ONVS imponere. Cicer. famil. I I I. Oneris tibi imponere nec audeo quicquam, nec debeo. Idem famil. V. Non ignoro, quàm impudenter faciam, qui primūm tibi tantum oneris imponam. Idem fam. X I I I. Nunc quando mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoq; tibi imponam pro tuis summis in me officijs. Idem ad Quint. frat. Sententias se rogaturum negauit, ne quod onus simultatis nobis imponeret.

poneret. Idem ad Attic. v. Non audeo tibi omnia onera imponere. Idem ad Att. XIII. Ne magnum onus obseruantia Bruto nostro imponerem. Idem in Sall. Mihi magnum dicendi onus imponitur. Idē de Orat. Neque uerò ego hoc tantum oneris imponam nostris præsertim oratoribus in hac tanta occupatione urbis, ac uitæ, nihil ut ijs putem licere nescire.

ONVS ADDERE. Cicero ad Attic. v. Ne quid inter cæsa, & porrecta (ut aiunt) oneris mihi addatur, aut temporis. **ONVS RECIPERE.** Cic. ad Brutum: Volo mihi tecum commune esse crimē, ut, si sustinere tantam quæstionem non potuero, iniusti oneris impositi tua culpa sit: mea recepti.

ONVS SVSCIPERE. Cicero pro Rosc. Amer. Suscipis onus officij, quod te putas sustinere posse. Idem in Verrem Actio. I. Adductus sum officio, ut onus hoc laboris suscipiendum putarem. Idem in Verrem Actio. II. Hoc me profiteor suscepisse magnum fortasse onus, & mihi periculosum: ueruntamen dignum, in quo omnes neruos ætatis, industriæq; meæ contenderem. Idem in Verrem Actio. v. Plus etiam, quàm pars uirilil postulat, pro uoluntate Populi Romani oneris suscipere debeo. **ONVS TOLLERE.** Cicero pro Rosc. Amerino: Fide, sapientiaq; uestra fretus plus oneris sustuli, quàm ferre me posse intelligo. Idem in Verrem Actio. v. Omnes, qui alterum nullis impulsu inimicitijs, nulla priuatim læsi iniuria, nullo præmio adducti in iudicium

Onus habere.

cium Reipub. causa uocant, prouidere debent, non solum quid oneris in praesentia tollant, sed quantum in omnem uitam negocij suscipere conentur. **ONVS HABERE.** Cicero in Verrem Act. V. Atque hoc ego plus oneris habeo, quam qui ceteros accusarunt (si onus est id appellandum, quod cum laetitia feras, ac uoluptate) ueruntamen hoc ego amplius suscepi, quam caeteri, quod ita postulatur ab omnibus, ut ab ijs se abstineant maxime uitijs, in quibus alterum res

Onus sustinere.

prehenderunt. **ONVS SVSTINERE.** Cicero famil. II. Quia maiora in Repub. onera sustinere & possum, & soleam. Idem famil. XIII. Quod scribis, si uelim, te ad me uenturum, ego uero cum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse uolo. Idem famil. XV. Si quae sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis, nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius. Idem in Verr. Act. VI. Cur ego tuas partes suscipio? cur tuum onus sustineo? Idem de Senectute: Onus Aetna grauius mihi uideor sustinere. Vatinius Cicer. famil. V. Si me, sicut soles, amas, suscipe me totum, atque, hoc quicquid est oneris, pro mea dignitate tibi tuendum, ac sustinendum puta.

Onus perficere.

ONVS PERFICERE. Cecinna Cicer. famil. VI. Omne onus perficies: nisi forte aut in miseria nimis stulte, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono.

Onere premi, uel opprimi.

ONERE PREMI, VEL OPPRIMI. Cicero famil. V. Neque tamen, haec cum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere

merere

merere susceptarum rerum, & iam institutarū. Idem famil. XIII. Primum uelim existimes, quod res est municipij, fortunas omnes in isto uectigali consistere. His autem temporibus hoc municipiū maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. Idem pro Rosc. Amerino: Quod si perferre nō potero, opprimi me onere officij malo, quā id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere. **LEVARE ONERE: VEL ONVS ALLEVARE.** Cicer. famil. III. Leua me igitur hoc onere: nunquam enim mihi uideor tractasse causam difficiliorem. Idem pro Roscio Amer. Hoc onus si uos aliqua ex parte alleuabitis, feram, ut potero, studio, & industria. **ONVS DEPONERE.** Cicero: Potero hoc onus tantum aut in hoc iudicio deponere: aut diutius tacitus sustinere? **PROVINCIA.** Quoniam cum translata oneris significatione conuenit hoc nomen, longius reiiciendum non existimaui, sed hīc in præsentia explicandum duxi. Est autem hoc loco prouincia non terra: ut, prouincia Sicilia, prouincia Asia, prouincia Gallia, prouincia Consularis, prouincia Prætorica: sed est onus, negocium, munus, partes, pensum, labor, officium. In qua significatione quare ponatur prouincia, rationem, quæ sequitur, afferre solent. Quoniam Præfecti ad prouincias gubernandas cū officio mitti solebant, factum est etiam, ut ipsi magistratus, &

r a omne

*Leuare onere:
uel onus alleuare.*

Onus deponere.

Prouincia.

omne onus nobis impositum, prouincia appelletur. Sed quando duplici significato est, utrunq; suis hic

Prouincia pro terra.

exemplis illustremus. **P R O V I N C I A P R O T E R R A.** Prouinciam in hac significatione Grammatici dici uolunt, quòd procul uinci uideatur. Propriè enim prouinciæ dictæ sunt regiones longè ab Italia bello acquisitæ, quòd eas Romanus Populus prouicerit. Prima autem omnium Sicilia est appellata prouincia, sicut docet Cic. Act. IIII. in Verr. Et prouinciarum aliæ erant Consulares: aliæ Prætorie.

Redigere regiones in prouinciæ formam.

Redigere uerò regiones in prouinciæ formam, nihil aliud est, quàm regiones subiicere imperio Romano, & ad eam gubernandam mittere Præfectum. De his, & multis alijs reconditionibus, quæ ad hanc uo-

B V D A E V S.

cem pertinent, uide Gulielmi Budæi (ad quem te honoris causa allego) primas annotationes in Pandectas. Ego ad exempla uenio. Cic. ad Quint. frat. Referbatur de prouincijs Quæstorum, & de ornandis Prætoribus. Idem pro Fonteio: Prouinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit. Idem pro Flacco: Sylla omnes Asiæ ciuitates pro portione in prouincias descripsit. Idem pro Domo sua: Tu prouincias Consulares, quas C. Gracchus cõstitui per Senatũ decreta lege sanxit, eas lege Sempronia per Senatum decretas rescidisti. Idem in Pisonem: Quas res gessisti in im-

Prouinciam obtingere alicui.

perio, exercitu, prouincia consulari. **P R O V I N C I A M O B T I N G E R E A L I C V I.** Prouincia obtingere alicui dicitur, cum fortitò prouincia

regenda

regenda illi committitur. Cicero ad Attic. : Asiam Quinto suauissimo fratri obtigisse audisti. Idem in Verrem: Quæstor ex Senatusconsulto prouinciam fortitus es : obtigit tibi Consularis. **PROVINCIAM OBTINERE**. Prouinciã obtinere, modus est loquendi, quo significatur, habere prouinciam ad tempus administrandam : ut Proconsul, ut Prætor, ut Quæstor, uel alius Magistratus. Cicero in Verrem: Iam antea in sella sedens Prætor, cum prouinciam Sicilia obtineret, &c. Idem pro Flacco: Cum Asiam prouinciam consulari imperio obtineres. Idem pro Ligario : Interim P. Actius Varus, qui Prætor Asiam obtinuerat, Vticam uenit. Idem in Vatinius: Cum Quæstor Macedoniam obtinebat. Idem in Philipp. C. Cæsar legem tulit, ne Prætorix prouinciæ plus quàm annũ : Consulares plus quàm biennium obtinerentur. **PROVINCIAM HABERE**. Cicero famil. II. Vides ex Senatusconsulto prouinciam esse habendam. Idem de Prouinc. Cõsular. Vt Prætores annuas prouincias habeant. **PROVINCIAM DEPONERE**. Cic. in Piso. P. Lentulus prouinciam, quam & autoritate Senatus, & sorte habebat, interposita religione deposui. **PROVINCIALIS**. Prouinciales dicti sunt aliquando qui ex prouincijs erant: siue, inquit Vlpianus, qui in prouincijs domiciliũ habebãt. Prouincialium quoq; nomine omnes, præter Italicos, appellabantur. Vnde Columell, lib. v. cap. IIII.

Prouinciam obtinere.

Prouinciam habere.

Prouinciam deponere.

Prouincialis.

r 3 tradit

tradit uinearū prouincialiū culturam, cū alibi de Italicarū agricultura scribat. Plin. Epist. VIII. Italicus es, an prouincialis? P A V L O' tritiori significato dicitur prouinciale, quod ad prouinciam pertinet: uel quod prouinciæ est. Cic. famil. II. Rogo te, ne patiaris mihi quicquā ad hanc prouincialem molestiam temporis prorogari. Idem ad Q. frat. In qua scientia præsertim prouincialis ratio expedita est. Idem in Catil. Hospitia prouincialia. Idem post Red. in Senat. Qui omnibus prouincialibus ornamentis, commodisq; depositis totam suam Quæsturam in me sustentando, & conseruando collocauit.

Prouincialis pro ad prouinciam pertinente.

Prouincia, pro onere, uel negotio.

PROVINCIA, PRO ONERE, VEL NEGOTIO. Cicero pro Cæl. Hoc fuit totū consilium mulieris: hæc istorum prouincia, qui rogati sunt. Plaut. in Capt. Quid credis? fugitant omnes hanc prouinciam, postea quàm captus Philopolemus tuus. **PROVINCIAM DEPOSCERE.**

Prouinciam deponere.

Cic. pro Syll. Is illam sibi officiosam prouinciā deponoscit, ut prima luce cōsulem salutatum ueniret.

Prouinciam dare, uel tradere.

PROVINCIAM DARE, uel tradere. Cic. in Verr. Act. VI. Ascendit in oppidum Artagathus, homo nobilis, qui à suis & amari, & diligi uellet: ferebat grauitè, illam sibi ab isto prouinciam datā: nec, quid faceret, habebat. Idem de Finib. I. Erit hoc, quasi prouincias atomis dare, quæ rectè, quæ obliquè ferantur. Terent. in Heaut. Idcirco huic nostro tradita est prouincia. **PROVINCIAM CAS-**

Prouinciam caspere.

pere.

PERE. Terent. in Phorm. O' Geta, prouinciam cepisti duram. PROVINCIAM SVSTINERE. Cic. pro Cæl. Atq; equidem uehementer expectabam, quinam isti uiri boni testes huius manifesto depræhensi ueneni dicerentur: nulli enim sunt adhuc nominati: sed non dubito, quin sint pergraves, qui primùm sint talis fœminæ familiares: deinde eam prouinciam susceperint, ut in balneas contruderentur. PONDVS. De translata huius nominis significatione, cum pro autoritate, uel momento accipitur, satis multa primo Tomo annotauimus. Hic igitur de propria tantùm à me scribetur, & translatione nō ostensa. Dicitur autem pondus, quod librando ad staterā ponderatur: uel quod graue est: aut ipsa grauitas: aut grauis summa: grauisq; uis, uel numerus: ut pondus auri, pondus argenti, & similiū. Cic. in Ver. Act. III. Audistis ex eade Mineræ ue grande auri pondus ablatum. Idem pro Cecinn. Vxorī grāde pondus argenti legauit. Idem Philip. II. Maximus uini numerus fuit: permagnum optimi pondus argenti. Idem de Nat. Deor. III. Cum ad Peloponnesum classē appulisset, & in fanū uenisset Iouis Olympij, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere. Idem de Fato: Omne pondus nulla re impediēte moueatur, & feratur necesse est. TRANSLATE POSITVM. Cic. de Orat. II. Sententiarum grauitate, uerborum ponderibus est utendum. Idem Offic. III. Non numero hæc iudicantur

Prouinciam sustinere.

Pondus.

Translatè positum.

*Ponderosus.**Ponderare.**Propriè positiu.
Translatè positiu.
tum.*

dicantur, sed pondere. Idem de Nat. Deor. Graue ipsius consciētiae pondus est. **PONDEROSVS.** Cic. ad Atticum I. Huic puero da ponderosam aliquam epistolam. **PONDERARE.** Ponderare est pendere, uel appendere, aut ponderibus examinare, uel librare. Propriè: uel translatae ponitur. **PROPRIÈ POSITVM.** Plautus: Dum nummularius ponderat argentum. **TRANSLATE.** Cicero famil. II. Ego, si mea in te essent officia solum tanta, quanta magis à teipso praedicari, quam à me ponderari solent, uerecundius à te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem, &c. Idem in Verr. Act. III. Nolite, quaeso, iudices breuitate orationis meae potius, quam rerum ipsarum magnitudine crimina ponderare: mihi enim properandum necessario est, ut omnia uobis, quae mihi constituta sunt, possim exponere. Idem pro Font. Si autem in rebus iudicandis non minimam partem ad unam quancumque rem existimandam, momentoque suo ponderandam sapientia iudicis tenet, nae multo uestrae maiores, grauioresque partes sunt ad cogitandum, quam ad dicendum meae. Idem pro Cecinn. Verba si ualent: si causae non ratione, sed uocibus ponderantur, me autore dicito. Idem pro Syll. Quod quisque admiserit, non ex crimine, sed ex moribus eius, qui arguitur, est ponderandum. Idem pro Rab. Posth. Iudex non solum, quid possit, sed etiam quid deceat, ponderare debet. Idem pro Planc. Fit uestra diligentia,

gentia, qui in causis ponderandis omnes ferè repu-
 diatis, ut ad nos pleræq; confluant. Idem in Piso.
 Non euentis, sed factis cuiusq; fortunam pondera-
 ri dicere audes. Idem de Orat. III. Delectus est quis-
 dam habendus, atque is auriũ quodam iudicio pon-
 derandus. Idem in Brut. Non quantum quisq; pro-
 fit, sed quantum quisq; scit, ponderandum est. Idem
 Offic. I. In quo tamen in primis, quo quisq; animo
 fecerit, ponderandum est. Idem Offic. II. Graui ho-
 mini, & ea quæ fiunt iudicio certo ponderanti, pro-
 bari posse nullo modo puto. Idem in Tusc. Ea re, nõ
 uerbis ponderantur. Idem de Leg. Epicurei omnia
 uoluptatibus, & doloribus ponderant. **PONDO.** *Pondo.*
 Pondo pro libra ponitur. Aliquãdo tamen pro pō-
 dere. Cicero pro Cluen. Is armarij fundum execut, &
 sestertiorum, & auri quinq; pondo abstulit. Idem
 pro Flacc. Ante pedes Prætoris in foro expensum
 est auri pōdo centum paulò minus per Sestiũ. Idem
 de Inuent. II. Paterfamiliãs, cùm filium heredẽ fa-
 ceret, uasorum argenteorum centum pondo sic le-
 gavit, &c. Idem in Paradox. Non est uir bonus, qui
 depositum nullo teste, cùm lucrari impune possit
 auri pondo decem, reddiderit, si idem in decem mi-
 libus pondo auri non fecerit. **LIBRA.** *Libra.*
 Instrumentum est, quo res ponderãtur cum lancibus.
 Alio nomine bilancem uocant. Cicero de Orat. I.
 Tanquam in procinctu testamentum faceret sine li-
 bra, atq; tabulis. Idem Tuscul V. Quó loco quæro,
 s quam

quam uim habeat libra illa Critolai: qui cum in alteram lancem animi bona imponat: in alteram corporis, & externa, tantum propendere illam boni lanceam putet, ut terram, & maria deprimat. P R A E

Libra pro asse.

Libella.

TER HANC significationem libra dicitur as, uel mina, seu mna, duodecim constans uncis. A qua fit libella diminutiuum. Et significat nummulum argenteum, qui & as dicitur. Cic. in Verr. Actio. III. Ecquis Volcatio, si sua sponte uenisset, unam libellam dedisset: Libellam pro asse posuit: ex eo dictam, quod libra aeris ualebat: id est, asse. Cum autem minimam pecuniolam significare uolebant, assem, & libellam dicebant. Idem pro Roscio Comaed. de poena plus petentium loquens: Si petierit sestert. LIII. hic, nisi planum facit sestert. LIII. ad libellam sibi deberi, causam perdit. Id est, si minimo quidem nummo minus debitum fuit, ex formula plus petitionis, causa cadit. Plautus in Cass. Vna libella liber possum ego fieri.

Librile.

Libripens.

LIBRILE. Librile, ut inquit Festus, est scapus librae. LIBRIPENS. Libripens a pendendo dicitur secundum Prisc. Estque militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandae pensator. Qua consuetudine in his emptionibus, quae mancipij sunt, etiam nunc libra interponitur. Haec Plin. lib. XXXIII. cap. III. Boetius Comment. III. Mancipatio imaginaria quaedam est: quod ipsum ius proprium est ciuium Romanorum. Ea res ita agitur adhibitis non minus, quam quinque testibus ciuibus Romanis puberibus, & eo,

& eo, qui libripens dicitur: is, qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isq; mihi emptus est hoc ære, æneaq; libra. Deinde ære percutit libram, idq; æs dat ei, à quo mancipium accipit, quasi pretij loco.

LIBRARE. Librare est ponderare. Cicero Tusculan. V. Vnde terra, & quibus librata ponderibus,

quibus cauernis maria sustineantur. **LIBRARE** Librare, pro emittere, uel iacere. etiam est iacere, uel emittere. Plin. in Panegyri. Nihil à cæteris, nisi robore, ac præstantia differens, cum nunc cominus tela librares, nunc librata susciperes.

AB HAC LIBRANDI significatione dicitur liberator, qui lapides emittit in bello. Cornelius Tac. Libratoribus, funditoribusq; attributus locus, unde eminus lapides, & glandes torquerent.

LIBRAMENTVM. Libramentum est æquamentum. Cicero in Academic. Non quæro ex his illa initia Mathematicorum, quibus non concessis, digitum progredi non possunt: punctum esse, quod magnitudinem nullam habet: extremitatem, & quasi libramentum, in quo nulla omnino crassitudo sit, &c. Plinius in Epist. An nescio quod libramentum abditum, & cæcum, quod cum examinatum est, suscitatur, & elicit fontem.

LANX. Lanx interdum dicitur uas latum, & profundum, minus excauatum, quam patinæ. Vas scilicet escarium, in quo caro tam tosta, quam elixa conditur, mensæq; infertur. Cicero ad Attic. VI. Lancibus, & splendidissimis canistris, nō

LANX. Lanx pro uase escario.

LANX. Lanx pro uase escario.

s 2 oluscu

olusculis nos soles pascere. Plaut. in Amphit. Inter
 eà dum isti certāt, in popinam diuertundū est mihi:
 lances detergam omnes, omnesq̃ trulas hauriam.
 Idem in Curcul. In carnario fortasse dicis. P H. Imò
 in lancibus. Plin. lib. X X X I I I. Lances è centenis
 libris argenti tunc super quingentas numero, Ro-
 mæ fuisse constat. Iuuenal. Satyra V. Aspice, quàm
 magno distendat pectore lancem, Quæ fertur do-
 mino squilla, & quibus undiq̃ septa Asparagis. Ho-
 rat. in Serm. Illigna nutritus glande rotūdas Cur-
 uat aper lances. ALIA SIGNIFICATIONE
 lances stateras dici certum est. Vnde uocantur bi-
 lances, quæ duas lances habent. Cic. in Academic.
 Necessè est, ut lancem in libra ponderibus impositis
 deprimi: sic animum perspicuis cedere. Idem de Fis-
 nib. V. Audebo igitur, quæ secundum naturā sint,
 bona appellare, nec fraudare suo ueteri nomine,
 quàm aliquid potius nouum exquirere. uirtutis au-
 tem amplitudinem quasi in altera libræ lance pone-
 re. Terram, mihi crede, ea lanx, & maria deprimet.
 S T A T E R A. Statera instrumentū est, quo res sine
 lancibus ponderantur. Cic. de Orat. I I. Hæc nostra
 oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad
 oblectandos animos, ad impellendos, ad ea proban-
 da, quæ non artificis statera, sed quadam populari
 trutina examinātur. T R U T I N A. Trutinā quidā
 scribunt foramen esse, intra quod est lingua bilācis,
 ad quod est examinatio; quod alij æquamētum, alij
 libramen

Lanx pro stateras.

Statera.

Trutina.

libramētū, alij æquilibrium uocant. De quo nomine exemplū uide in statera: ubi & statera, & trutina per translationem pro iudicio ponitur. Vitr. lib. 11. Id autem ex trutinis, quæ stateræ dicuntur, licet considerare. **TRUTINARE.** Trutinare est trutina examinare: quod uerbum translātè posuit Persius, pro examine perpendere, his uerbis: Atque exporrecto trutinantur uerba labello. **EXAMINARE.** Examinare ab examine ducitur, cū accipitur pro stylo, uel lingua lancis, aut stateræ: quæ, quò pondus se uergit, exit. Vergil. Aeneid. X. Iuppiter ipse duas æquato examine lances. Ab ea igitur significatione examinis ponitur examinare propriè, pro trutinare, uel in lance ponderibus adiectis perpendere. Cicero Tuscul. 1. Cū sui similem & leuitatem, & calorem adeptus, tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem mouetur. Cæf. de Bell. Gal. lib. V. Utuntur nummo aureo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Translatè uerò ut examen pro inquisitione, uel indagatione ponitur: ita examinare per translationem accipitur pro perpendere, ponderare, excutere, disputare, exquirere, aut in manibus iactare. Cic. pro Plancio: Ego hoc meis ponderibus examinabo, quid cuique debeam. Idem de Orat. 11. Ad ea probanda, quæ nō artificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. Legunt nonnulli aurificis pro artifice. Idem in Orat. Ac tamen in hoc ipso diligenter examinan-

*Trutinare.**Examinare.**Examen.**Examinare propriè positum.**Translatè positum.*

te uerborum omnium pondera, repræhendit Aschines quedam, & exagitat: illudensq̄, dura, odiosa, intolerabilia esse dicit.

C O N S C E N D E R E.

MULTA simul attexendi argumentum dedit uerbum imponere: quibus diligenter, ut uisum est, demonstratis, ad rei nauiculariæ uoces iam redeo, significationumq̄ perpetuationi, quantũ licet, seruiō. Fert autem significationum perpetuatio, ut, ubi in nauem uel quod libet, uel quod necessarium est, imposuimus, tandem ipsi conscendamus: deinde soluamus: postea nauigemus. Morem igitur meum in significationibus continuandis retineo. Sed iam de conscendendi significatione, & usu scribendum est. Itaq̄ conscendere propriè de nauigantibus dicitur, qui in naues ascendunt. Sed uariè à Latinis usurpatur. Et enim aut sine accusatiuo est: aut cum accusatiuo.

S I N E A C C U S A T I U O.

Cicero famil. XII. Quamobrem mi Quinte conscende nobiscum.

Idem ad Qu. frat. Tu uelim quamprimum conscendas, ad meq̄ uenias.

Idem ad Attic. IX. Si & Cneus bene comitatus conscendisset: & consules transfissent.

Idem: Epheso conscendentes hanc epistolam dedimus.

Idem: Hæc ego conscendens è Pompeiano, dedi
actuar

actuariolis.

Idem: Cùm me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, uenti detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem: nec ita multum prouectus, reiectus Austro sum in eum locum, unde conscenderam.

Cæsar: Erat completis littoribus contentio, qui potissimum ex magno numero conscenderent.

Titus Liuius: Conscendunt alacres copiae.

CVM ACCVSATIVO.

MEMINI, cùm de naue à me scriberetur, huc seruasse exempla, quæ sequuntur: scilicet nauem conscendere: idc̄q̄ est, quod dicimus, conscendere cum accusatiuo poni.

Cicer. famil. III. Pontinius ut uidit tua interesse, conscendēs iam nauem Epheso Laodiceam reuertit.

Cæsar de Bello Ciuil. lib. III. Comitatu equitum XXX. ad mare peruenit, nauemq̄ frumentariam conscendit.

Ibidem: Nauiculam paruulam conscendit cum paucis suis.

CVM ACCVSATIVO, ET

PRAEPOSITIONE.

Cicero famil. XIII. Nauem spero nos ualde bonam habere: in eam simul atque conscendi, hæc scripsi.

Plautus in Bacch. Postquam aurum abstulimus, in nauim conscendimus, domum cupientes.

Conscensio,

CONSCENSIO.

Cicero de Diuin. I. Remex quidam uaticinatus est madefactum iri minus triginta diebus Græciam sanguine: rapinas Dyrrhachij, & conscensionem in naues cum fuga, fugiētibus miserabilem respectum incendiolorum fore.

S O L V E R E.

VERBI huius significationem tantum hîc tractamus, quæ huius loci est: scilicet quæ ad rem nauiculariam pertinet. Est autem hoc loco idem, quod solutis anchoris nauigationi se committere. Et accusatiuum habet, uel sine casu est: præterquam quòd siue accusatiuum habeat, siue eo careat, ferè ablatiuo iungitur cum præpositione à, uel ab. Nos tamen ita usum distinguemus, ut aut cum accusatiuo sit: aut sine accusatiuo.

SINE ACCVSATIVO.

Cicero famil. XVI. Interea qui cupidè profecti sunt, multi naufragia fecerunt: nos eo die cœnati soluimus: inde Austro lenissimo, cœlo sereno, in Italiã ad Hidruntem ludibundi peruenimus.

Idem pro Mur. Si portu soluentibus ij, qui iam in portũ ex alto inuehantur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum, quòd natura affert, ut eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur:

diantur: quo tandem animo me esse oportet propè iam ex magna iactatione terram uidentem, in hunc, cui uideo maximas Reipublic. tempestates esse subeundas?

Idem Off. III. Si idem sciret mercatores ab Alexandria soluisse, &c.

Idem de Diuinat. Agamemnon soluere imperat auersa aui.

Cæsar de Bello Gallico libro. IIII. His rebus pace firmata, post diem quartam, quàm est in Britanniam uentum, naues octodecim, de quibus supra demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex superiori portu leni uento soluerunt. Naues hoc Cæsar's loco nominatiui casus sunt, non accusatiui.

Idem de Bello Ciuil. lib. III. Cùm ignis magnitudine uenti latius serperet, milites, qui ex ueteribus legionibus erant relictis præsidio nauibus ex numero ægrorum, ignominiã non tulerunt, sed sua sponte naues conscenderunt, & à terra soluerunt.

C V M A C C V S A T I V O.

Cæsar de Bello Gallic. lib. V. Ipse cum legionibus quinque, & pari numero equitum, quem in continenti reliquerat, ad solis occasum naues soluit.

Idem de Bello Ciuili libro I. Pompeius sub nocte naues soluit.

Idem de Bello Ciuili libro III. Ut ex his locis discederent, contra uoluntatem suam naues soluere iuebantur.

t

Nauigare.

NAVIGARE.

*Navigare cum
accusatiuo.*

NAVIGARE est nauim agere, uel naui uehi, aut naui iter facere. Quod uerbum tametsi neutrum sit, huic tamen accusatiuum dant aliquando Latini. Cicer. de Finib. 11. Si Xerxes, cum tantis classibus, tantisque equestribus, & pedestribus copijs, Hellespōto iuncto, Athocque perfosso, maria ambulauisset, terramque nauigauisset: si, cum tanto impetu in Græciā uenisset, causam eius quis ex eo quæreret tantarum copiarum, tantique belli, mel se afferre ex Hymeto uoluisse diceret, certè sine causa uideretur tanta conatus. Verg. Aeneid. 1. Gens inimica mihi Tyrrenū nauigat æquor. Non minus nouè, & eleganter dixit Plin. lib. 11. cap. LXVII. A Gadibus, columnisque Herculis, Hispaniæ, & Galliarum circuitu totus hodie nauigatur Occidens. Septentrionalis uerò Oceanus maiore ex parte nauigatus est. Hic sit abstrusior nauigandi usus. Vulgarem uerò sequentia exempla ostendent. In quibus si quid obseruandum est, id solum obseruandū est, cum in ipso nauigationis cursu inest commoditas, uel incommoditas: quæ pulchrè aduerbijs quibusdam exprimi solet. Exempla igitur commoditatis, & incommoditatis separatim trademus, si prius, quæ nullum ornatum illustriorem habent, id est, uulgariora, attulerimus.

VULGARIORA EXEMPLA.

Cic. ad Att. v. Negotium magnum est nauigare.

Idem

Idem ad Att. X. Recordor, cùm illo Rhodiorum
aphracto nauigauì, quàm fuerim sollicitus.

Idem : Quis nauigauit, qui non se aut mortis, aut
seruitutis periculo committeret?

Idem : Vt primum Velia nauigare coepi, &c.

Idem : Ille, ut aiebat, Italiàm uersus nauigaturus
erat.

Idem : Cùm primum nobis facultas nauigandi
data erit, ea utemur.

Idem : In quo difficultas nauigandi fuit odiosa.

Idem : Hac classe M. Crassus ab Hemo in Asiam;
his nauibus Flaccus ex Asia in Macedoniam nauigauit.

Idem : Duo quidam, cùm iam in alto nauigarent,
&c.

Seruius Cicer. famil. IIII. Ex Asia rediens, cùm
ab Aegina Megaram uersus nauigarem, coepi regiones
circuncirca prospicere.

Nauigare commodè.

H O C aduerbio omnem nauigandi commoditatem
prænotamus, siue nominibus, siue aduerbijs
alijs exprimatur.

Cicero famil. XVI. Ne nauiges, nisi exploratè. *Exploratè.*

Ibidem : Si poteris, cum Mescinio nauiga : solet
is cautè nauigare. *Cautè.*

Ibidem : Cùm rectè nauigari poterit, tum nauiges. *Rectè.*

Idem ad Att. Scire uolebã, te cõmodè nauigasse. *Commodè.*

Ibidem : Inde ad quintũ Idus Corcyrà bellissimè *Bellè.*

t 2 nauig

nauigauimus.

Commodè.

Ibidem: Magis commodè, quàm strenuè nauigaui: remis enim magnam partem.

Sine timore, sine nausea.

Ibidem: Nauigauimus sine timore, & sine nauſea: sed tardius propter aphraкторum Rhodiorum imbecillitatem.

Ex ſententia.

Ibidem: Te in Epeirum ſaluum ueniſſe, & ex ſententia nauigaſſe, uehementer gaudeo.

Ibidem: Hanc epiſtolam dedimus L. Tarquinio ſimul è portu egredienti, ſed expeditius nauiganti: nos Rhodiorum aphractis, ceteriſq; longis nauibus tranquillitates aucupaturi eramus.

Conſideratè.

Idem ad Quint. frat. Fac, cōſideratè, diligenterq; nauiges.

Feliciter.

Idem: Romam uenit, ſatisq; feliciter anni iam aduerſo tempore nauigauit.

Pleniſſimis uelis.

Idem: Pleniſſimis uelis nauigaſſes.

Commodè.

Cæſar de Bello Gall. IIII. Nauibus amiſſis reliquis, ut nauigari commodè poſſet, efficit.

Idem de Bello Ciuil. lib. III. Tempus anni commodius ad nauigandum.

Nauigare incommodè.

Tardè, & incommodè.

Cicer. famil. XIII. Pridie Idus Octobris Athenas uenimus, cùm ſanè aduerſis uentis uſi eſſemus, tardèq; & incommodè nauigaſſemus.

Incommodè.

Idem: Maluimus facere iter pedibus, qui incommodè nauigaſſemus.

Idem: Arbitror cōmodius tardè nauigare, quàm omnino non nauigare.

Idem : Ne temere nauiges,

Temere.

Idem : Inde Sardiniam cum classe uenit, nondū tempestiuo ad nauigandum mari.

Idem : Infero mari nobis, incerto cursu, hyeme maxima nauigandum est.

Cæsar de Bell. Alexand. lib. IIII. Aduerso tempore nauigandi naues conscendit.

RENAVIGARE.

Cic. ad Attic. XIII. Ipse eo die in Pæti nostri Tyrotharicum imminebam : perpaucis diebus in Pompeianum, post in Puteolana, & Cumana regna renauigare cogitabam.

NAVIGATIO.

NAVIGATIO est cursus maritimus. Quod nomen exempla habet, in quibus, ut in nauigare, cōmoditatem, & incommoditatem inesse uideas. Etenim ut dicimus, cōmodè, bellè, rectè, feliciter nauigare : ita commodam, bellam, felicemq; nauigationem dicere possumus : atq; ijs contraria opponere.

Cicero famil. VI. Præter nauigationis longæ, & hyemalis, & minimè portuosæ periculum, quod uitaueris, ne illud quidem negligendum est, quamuis subito, cū certi aliquid audieris, te isthinc posse proficisci.

Idem ad Q. frat. Aiebant te prima nauigatione transmissurum.

t 3 Idem

Idem ad Att. II. Nauigatio perdifficilis fuit, &c.

Idem de Senect. Quæ mihi quidē maturitas tam iucunda est, ut quò propius ad mortē accedam, quasi terram uidear uidere, aliquandoq; in portum ex longa nauigatione esse uenturus.

Idem in Academ. Cūm totum iter, & nauigationem consumpsisset partim in percōtando à peritis, partim in rebus gestis legendis, &c.

Asinius Cic. fam. X. Nulla post hyemem fuit ante eam diem nauigatio.

Nauigationi se committere.

Cicero famil. X V I. Quare nunc quidem nō dubito, quin, quoad planè ualeas, te neq; nauigationi, neq; uix committas.

Ibidem; Ne te longæ nauigationi, & uix per hyemem nisi bene firmum committas.

Nauigationem subire.

Cæsar de Bell. Gall. lib. IIII. Quòd propinqua die æquinoctij infirmis nauibus hyemis nauigationem subeundam non existimabat, ipse idoneam tēpestatem nactus, paulò post mediam noctem naues soluit.

Nauigationem impedire, uel præcludere.

Cæs. de Bell. Gall. lib. V. Itaq; dies circiter uigintiquinque in eo loco commoratus, quòd Chorus uentus nauigationem impediēbat, qui magnā partem omnis temporis in his locis flare consueuit, dabat operam, ut Dunnorigem in officio contineret,

nihilo

nihilo tamen secius omnia eius cōsilia cognosceret.

Idem de Bell. Alexand. lib. IIII. Quæ diuersæ nauigationes nunquam uno tempore aduersis uentis præcludebantur.

Nauigationem omittere.

Cicero ad Q. frat. Tu mi frater, simulac ille uerit, primam nauigationē (dummodo idonea tempestas sit) ne omiseris.

A P P E N D I X.

DE Nauseæ significatione, quoniam in nauigationem ut plurimum cadere solet, hoc loco scribere non absurdum uidebitur: quandoquidem nec alio loco tam cōmodè quadraret. Est autem nausea, stomachi ad uomitum ex graui odore perturbatio. A' nauis deductum nomē, ex cuius sentina mouetur plerunq; uomitus. Per translationem pro fastidio sæpe à Latinis ponitur. Cic. famil. X V I. Festinare te uolo, ne nauseæ molestiam suscipias æger. Idem ad Att. V. Nauigauimus sine timore & nausea. Idē ad Attic. XIII. Nauseolam tibi tum causam otij dedisse facile patiebar. NAVSEARE. Nauseare à nausea est; & significat nausea, & uomitu infestari. Cic. famil. VII. Posthac igitur erimus cautiores: tu tamen cū audisses ab Anitio (uidit enim me nauseantem) non modò mittendi causam iustam habuisti, sed etiam uisendi. Idem famil. XII. Sic sum in Antonium inuectus, ut ille non ferret, omnemq; suum

Nausea.

Nauseare.

suum uinolentum furorem in me unum effunderet, meq; cum elicere uellet ad cædis causam, tum tentaret insidijs, ego ructantem, & nauseantem conieci in Cæsaris Octauiani plagas. Idem ad Att. v. Quã epistolam dedisti nauseans Buthroto. Idem Philip. II. Non dissimulat P. C. apparet esse commotum: sudat, pallet: quidlibet, modò ne nauseet, faciat: quod in porticu Numitia fecit. Idẽ de Nat. Deor. I. Quàm bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire, quod nescires, quàm ista effutientem nauseare?

V E H E R E.

VEHIMVR & curru, & nauì. Quorum alterũ ad hunc locum pertinet: alterum hinc remotum est. De utroque tamen hîc exempla dabimus.

CV'M CVRRV VEHIMVR.

CV'M curru uehimur: id est, cum extra rem nauiculariam positum est hoc uerbum, siue uehamur equo, siue plaustro, siue rheda.

Cicero in Piso. Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta penè puerorum: captare plausus: uehi per urbem: conspici uelle.

Idem pro Mil. Alter uehebatur in Rheda penulatus.

Idem Philipp. II. Vehebatur in essedo Tribunus Plebis.

Idem de Diuinat. II. Equus, in quo uehebar, mecum unã demersus, rursus apparuit.

CV'M

CVM NAVI VEHIMVR.

Cic. in Verr. Act. VII. Phalargum Centuripinū dixeram exceptum esse à Cleomene, quòd in eius quadriremi uectus esset.

Idem Tuscul. I. Itaq; dubitans, circumspectans, hæsitans, tanquam ratis, in mari immenso nostra uehitur oratio.

VECTOR.

VECTOR dicitur, qui uehit, & qui uehitur, siue id fiat equo, siue nauī.

PRO EO, QVI VEHIT.

Cic. ad Att. X. Hominem bonum, & doctum, & probum existimo: quinetiam nauī eius me, & ipso uectore usurum puto.

PRO EO, QVI VEHITVR.

Cicero ad Att. II. Malè uehi malo alio gubernante, quàm tam ingratis uectoribus benè gubernare.

Idem pro Sest. Si mihi in aliqua naue cum meis amicis nauigati hoc, iudices, accidisset, uti multi ex multis locis prædones classibus eam nauem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedidissent, si id uectores negarent, ac mecum simul interire, quàm me tradere hostibus, mallent, &c.

Idem Philipp. VII. Summi gubernatores in magnis tempestatibus à uectoribus admoneri solent.

Idem de Nat. Deor. III. Cùm ei nauigati uectores aduersa tempestate timidi, & perterriti dicerent, non iniuria sibi illud accidere, qui illum in eandem

u

nauem

nauem recepissent, ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes.

V E C T I O.

Cicero Offic. I I I. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum uectiones.

V E H I C V L V M.

VEHICVLVM dicitur, in quo aliquid uehitur: ut currus, rheda, essedum, & similia.

Cicero ad Att. X. Ego uehiculo, si nauis non erit, eripiam me ex istorum parricidio.

Idem in Verr. Act. V I I. Illi tibi furtorum uehiculum comparauerunt.

Idem in Pis. Neglectis uehiculis triumphalibus, domi manet.

Idem pro Milone: Quid horum non impudentissimum? uestitus, an uehiculum?

V E C T V R A.

VECTVRA est actus uehendi, uel uectio. Vel est merces, que pro uectura soluitur: ut puta pro nauis, siue uehiculo, siue equo meritorio.

Cicero famil. I I. Laodiceæ me prædes accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ, ut & mihi, & populo cautum sit sine uecturæ periculo.

Idem ad Att. I. Misimus, qui pro uectura solueret.

Idem ad Att. XV. Petij ab eo de mulis uecturæ, &c.

Idem

Idem in Verr. Act. v. Secuti sunt auariores magistratus, qui tamen in auaritia sua non solum uiam quaestus inuenerunt, uerumetiam exitum, ac rationem defensionis instituerunt: semper ad ultima, ac difficilissima loca apportandum frumentum imperare, ut uecturae difficultate, ad quam uellent aestimationem, perueniret.

S V B V E H E R E.

Cæsar de Bell. Gall. lib. i. Eo frumento, quod flumine Arare nauibus subuexerat, propterea minus uti poterat, quod iter ab Arare Helueti auerterant.

T R A N S V E H E R E.

Cic. de Fin. v. uersus quosdam Homeri uertens:
Nemo hæc est unquam transuectus cærulea cursu,
Quin prius astiterit uocum dulcedine captus.

Sallust. in Iugurt. Ex eo numero Medi, & Persæ, & Armeni cum nauibus in Africam transuecti, proximos nostro mari locos occupauere.

T R A N S V E C T I O.

Cicero Tuscul. i. Dic, quaeso: num te illa terrent? triceps apud inferos Cerberus? Cocyti fremitus? transuectio Acherontis? mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus?

P R A E T E R V E H E R E.

P R A E T E R V E H E R E est ultrauehere, Quod ponitur proprie; uel translate.

PROPRIE POSITVM.

Cicero in Verr. Act. VII. Tãdiu in imperio suo classem iste Prætor diligens uidit, quandiu conuiuium eius flagitiosissimum præteruecta est.

Ibid. Insulã totam præteruectus est: quæ est urbis magna pars Syracusis suo nomine, ac mœnibus.

Idem de Finib. V. Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam uidisse uidetur in his, quæ de Sirenũ cantibus finxerit: neque enim uocum suauitate uidentur, aut nouitate quadam, & uarietate cantandi reuocare eos solitæ, qui præteruehebantur: sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhærescerent.

TRANSLATE POSITVM.

Cic. pro Cornel. Balbo: Eï succedo orationi, quæ non præteruecta sit aures uestras, sed in animis omnium penitus infederit: ut plus uoluptatis ex recordatione illius orationis, quàm nõ modò ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis.

Idem pro Cælio: Emersi iam è uadis, & scopulos præteruecta est oratio mea.

Idem Philipp. VII. Magna spe ingredior in reliquam orationem P. C. quoniam periculosissimũ locum silentio sum præteruectus.

P R A E T E R U E C T I O.

Cic. in Verr. Act. VII. Monumentum sceleris, audaciæq; suæ uoluit esse in conspectu Italiae, uestibulo

bulo Siciliae, praeteruectione omnium, qui ultro, citroque nauigarent.

TRANSFERRERE.

TRANSFERRERE est transfuehere, uel deportare, siue id naui fiat: siue uehiculo, aut alio quouis uecturae genere. Cicer. in Verr. Act. VI. Fuit apud Segestanos ex aere simulachrum Dianae tum summa, atque antiquissima praeditum religione: tum singulari opera, artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem, locum tantum, hominesque mutarat: religionem quidem pristinam conseruabat. Idem Philipp. III. Quid hic uictor non audebit, qui nullam adeptus uictoriam, tanta scelera post Caesaris interitum fecerit: refertam eius domum exhauserit: hortos compilarit: ad se omnia ex his ornamenta transfulerit: **PROPRIA HAEC EST** transferendi significatio. Extra quam in multa loquendi genera *Extra propriam significationem.* distrahitur: ut, transferre se ad aliquid: transferre aliquid in aliquem: transferre uerba, uel dictiones: & similia multa, quae exemplis sequentibus demonstrabuntur. Cic. in famil. Transferre animum ad aliqua. Ibidem: Ut de tuo edicto totidem uerbis transferam in meum. Idem ad Attic. Ut omnem culpam in te transferas. Ibidem: Totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulique ad nostrum sodalem. Ibidem: Istum ego locum totidem uerbis a Dicearcho transtuli. Idem pro Rosc. Comcedo: Qui

u ; tabulas

tabulas conficiunt, menstruas penè rationes in tabu-
 las transferunt. Idem in Verrem: Hoc idem transfe-
 ro in magistratus. Idem pro Cluentio: Non est pro-
 bandū, illos ad notationes Censorias exemplum à
 consuetudine militari transtulisse. Idem pro Mur.
 Cūm te de curriculo petitionis deflexisses, animūq̃
 ad accusandū trāstulisses. Ibidem: Cūm omnis po-
 testas deorum immortalium aut translata sit ad eos,
 aut certè cōmunicata uobiscum. Idem pro Mil. Clo-
 dius reliquit annum suum, seseq̃ in proximum trās-
 tulit. Idem pro Sylla: In hunc igitur gregem uos P.
 Syllam reñcietis? in parricidarum numerum transfe-
 retis? Idem pro Rabir. Posth. Hoc totidem uerbis
 translatum caput est, quot fuit antè in lege Seruilia.
 Idem de Orat. Si placet, sermonem aliò transfera-
 mus. Ibidem: Non ualde productis ijs, quæ simili-
 tudinis causa ex alijs rebus transferuntur. Ibidem:
 Alij à regendis ciuitatibus totos se ad cognitionem
 rerum transtulerunt. Idem in Brut. Totum se ad ar-
 tes componendas transtulit. Idem in Orat. Transla-
 ta ea dico, quæ per similitudinem ab alio transferun-
 tur. Ibidem: Cūm uerbum aliquod altius transfer-
 tur. Ibidem: Transferre uerba apertius. Ibidem: Ver-
 bum transferri, & quasi in alieno loco collocari. Idē
 de Inuent. Transferre aliquid ex Philosophia. Ibi-
 dem: Argumenta, quæ transferri in multas causas
 possunt. Idem Offic. I. Quod ab Ennio positum in
 una re, transferri per multas potest.

Transla

TRANSLATOR.

TRANSLATOR, ut transfero, uel in propria significatione manet; uel extra eam perſæpe egreditur.

Cicero in Verr. Act. VII. Verres ille uetus proditor Consulis, translator quæſturæ, auerſor pecuniæ publicæ, tantum ſibi autoritatis in Republica ſuſcepit, ut, quibus hominibus per Senatum, per Populum Romanum, per omnes magistratus, in foro, in ſuffragijs, in hac urbe, in Republica uerſari liceret, ijs omnibus mortem acerbam, crudelemq; proponeret, ſi fortuna eos ad aliquam partem Siciliae detuliſſet.

TRANSLATIO,

uel Tralatio.

PLURA ſunt harum uocum exēpla extra propriam ſignificationem, quàm propriæ.

Cicero famil. XV I. Doctrina, & domus, & ars, & ager etiã fidelis dici poteſt, ut ſit quomodo Theophrasto placet, uerecunda tralatio.

Idem in Verr. Act. V I. Nunquam mihi uerifiſimile uiſum eſt, adoleſcentem illo loco natum, patronũ Siciliae, nomen ſuum iſti ad translationem criminis commodaturum.

Idem Offic. I. Syllæ, & C. Cæſaris pecuniarum translatio à iuſtis dominis ad alienos non debet liberalis

ralis uideri.

Idem de Orat. III. Translationes quasi mutationes sunt, cum, quod non habeas, aliunde sumas.

Idem in Orat. Cum fluxerunt continuæ plures translationes, alia planè fit oratio.

TRANSLATITIVS,

Tralatitius, Translatiuus.

TRANSLATITIVM, uel Tralatitium est, quod transfertur. Vtrunque uerò sæpe pro commẽtitio ponitur.

*Translatitium
edictum.*

Cicer. in Verr. Act. III. In re tam usitata satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, & hoc uetus edictum, translatitiumq; esse: id est, desumptum. De quo uide Budæum in annotationibus prioribus in Pandectas.

Idem: Alterum caput est tralatitium.

Idem: Nosti hæc tralatitia.

Idem: Hoc uerò caput, ex quo suspitio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, tralatitium est.

Idem de Inuent. Cum actio translationis, aut cõmutationis indigere uidetur, constitutio translatiua appellatur.

TRANSPORTARE.

Cicero ad Att. VII. De pueris in Gerciam transportandis tum cogitabam.

Idem

Idem ad Attic. VIII. Ut reliquæ copiæ omnes Brundusium cogerentur, & inde nauibus Dirrachium transportarentur.

Idem ad Attic. XIII. Quid tu illas legiones putas, quæ fuerunt in Hispania? non ne idem postularas? quid eas, quas Annius transportauit?

Idem in Pisonem: Ego te non uecordem putem, qui sis ausus confiteri, te prouinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine milite reliquisse?

Cæsar de Bello Gall. lib. IIII. Nauium magnam copiam ad transportandum exercitū pollicebantur.

Ibidem: Sine impedimentis Cæsar legiones transportauerat.

Ibidem: Magnopere orabant, ut sibi auxilium ferret: quòd grauiter à Sueuis premerentur: uel si id facere occupationibus Populi Romani prohiberetur, exercitum modò Rhenum transportaret.

Idem de Bello Gallic. lib. VII. Legiones nauibus transportabant.

Idem de Bello Ciuili libro III. Expositis militibus, naues eadē nocte Brundusium à Cæsare remittuntur, ut reliquæ legiones, equitatusq; transportari possent.

TRANSDVCERE,

uel traducere.

TRANSDVCERE, uel traducere aliquando

x ad rem

ad rem nauiculariam pertinet. Aliquando uerò traducere translatae ponitur: Vt traducere animum hominis ab una cogitatione ad aliam: traducere à seueritate ad hilaritatem: traducere aliquem ad se: traducere ludos ad metum: traducere partem Iouis ad Physiologiam: traducere adulescentes à minutis cōcertationibus ad omnem uim dicendi: traducere animum à minore cura ad summum timorem: traducere orationem, & cōuertere in increpandum aliquid: traducere inimicitias ad amicitiam: & similia. Vel pro conterere consumere: uel obire: ut traducere tempus: traducere uitam: traducere adulescentiam: traducere munus susceptū summa abstinētia. Quem translatum huius uerbi usum quoniā diuersis locis primo Tomo ostendimus: tantum hīc de propria significatione exempla adferemus.

Cicero de Inuent. II. Fluius ita magnus factus est, ut eo traduci uictimæ nullo modo possent.

Cæsar de Bello Gall. lib. I. Vbi per exploratores Cæsar certior factus est, tres iam copiarum partes Heluetios id flumen transduxisse: quartā uerò partem citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia uigilia cum legionibus tribus è castris profectus ad eā partem peruenit, quæ nondum flumen transierat.

Ibidem: Ab eo postulat, ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam traduceret.

Ibidem: Flumen Axonam exercitum traducere maturauit.

Ibidem: Heluetij per angustias, & fines Sequanorum suas copias traduxerant, & in Heduorum fines peruenerant.

Idem de Bello Ciu. lib. III. Tertio die prima luce exercitum uado transducit.

TRADUCTOR, uel Traductio.

QUANDO QUIDEM certum est, sequentes uoces bene Latinas esse, nihilo minus ijs in re nauicularia uti poteris, quàm in alio quouis argumèto, uel materia: tametsi exempla nulla ad rem præsentem facientia mihi modo occurrant, sed paulò alieniora subdam. Id tamen prius annotabo: traductionem hodie uocari posse, quod uocabulo planè Barbaro chariuarium dicimus. Id uerò ex traducti exemplis probamus. Titus Liuius ab Urb. Cond. de Volscis loquens publico consilio uoce præconis à spectaculis exactis. Vos, inquit, omnibus ciuibus, peregrinis populis spectaculo abeuntes fuisse uestras coniuges, uestros liberos traductos per ora hominum. Transquillus in Vespasiano: Hos nouissimè traductos per amphiteatri arenam subiici in seruos imperauit. Hæc obiter. Ad rem redimus.

Traductio pro eo quod Barbari dicunt Chariuarium.

Cicero ad Attic. II. Si, quæ de me pacta sunt, nō seruantur, in celo sum, ut sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, quàm bonā meis orationibus gratiam retulerit.

x s Idem

Idem pro Sestio : Traductio furibundi hominis.
 Idem de Orat. III. Ne illa quidem traductio, atque
 que immutatio in uerbo quādam fabricationem habet,
 sed in oratione.

TRANSMITTERE.

TRANSMITTENDI significatio aliquando ab hoc loco remota est : ut apud Ciceronem pro lege Manilia: Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. Ibidem : Quis dubitat, quin hoc tantum bellū Pompeio transmittendum sit? Hæc igitur significatio ab hoc loco remota est. Conuenit autem, cū ad rem marinam, uel fluuiale pertinet : & significat transire.

Cicero ad Q. frat. Aiebant te prima nauigatione transmissurum.

Idem ad Attic. VII. Lentulum antè puto transmissurum, quàm potuerit conueniri.

Idem ad Att. X VI. Duo sinus fuerūt, quos transmitti oportet: utrūq; pedibus, & equis trāsmisimus.

Idem Philipp. I. Cū me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, uenti detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem.

Idem de Finib. V. Cur Pythagoras tantas regiones Barbarorum pedibus obiit? tot maria trāsmisit?

Idem de Nat. Deor. Grues, cū maria transmittunt, trianguli formam efficiunt.

Idem de Diuinat. Cæsar in Africam transmisit.

Transmis

TRANSMISSIO,

uel transmissus, us, ui.

Cicero ad Attic. IIII. O' nauigationem amandam: quam mehercule ego ualde timebam, recordās superioris tuæ transmissionis.

Idem Philipp. I. Cum Brundusium, iterq; illud, quod tritum in Græciam est, non sine causa uitauissem, Cal. Sext. ueni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Græciam laudabatur.

Cæsar de Bell. Gall. lib. v. Pari spatio transmissus, atq; ex Gallia, est in Britanniam.

TRAICERE.

TRAICERE, est traducere, transportare, uel transferre. Non semper tamē ad rem nauiculariam pertinet: sed nonnunquam extra rem nauiculariam est. Exempla igitur, ut sequitur, distinguemus.

A' RE NAVICVLARIA EXEM

PLA ALIENA.

Cic. in Orat. Quæ uitia qui fugerit, ut neq; uerbū ita traiciat, ut id de industria factum intelligatur: neq; inferciens uerba quasi rimas expleat: nec minutos numeros sequens concidat, delumbetq; sententias: nec sine ulla commutatione in eodem semper uersetur genere numerorum, is omnia ferè uitia uitauerit.

Ibidem: Magnam exercitationem res flagitat, ne

quid

quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus: nec uerba traiciamus aperte, quò melius aut cadat, aut uoluatur oratio.

Idem de Finib. IIII. Si Annibal ad portas uenisset, murumq; iaculo traiecisset, negaret esse in malis, capi, &c.

Brutus Cic. famil. XI. Si se Alpes Antonius traiecerit, constitui præsidium in Alpibus collocare, & te de omni re facere certiolem.

Tit. Liu. ab Urb. Cond. lib. II. Contra quem & ille concitat equum, tantaq; uis infestis uenientium hastis fuit, ut brachium Ebutio traiectum sit, Manilio percussum pectus, &c.

AD REM NAVICVLARIAM

PERTINENTIA.

IN sequentibus exemplis id tantum obseruato, traicere simplicem accusatiuum habere, uel duplicem: ut sit, traicere flumen: uel traicere copias flumen.

Cicero ad Attic. VII. Ego quid agam? qua aut terra, aut mari persequar eum, qui ubi sit, nescio? & si terra quidem, qui possum? mari, quò traiciam?

Idem post Redit. Marius parua nauicula traiectus est in Africam.

Idem in Sallust. Ex Africa tantum hic exhauit, quantum potuit aut fide nominum traici, aut in naues contrudi.

Plancus Cic. fam. X. Exercitum ad Sext. Calend. Maias Rhodanum traieci.

Ibidem

Ibidem: Id me præstiturum spero, dum istinc
copiæ trañciantur.

Ibidem: Cautius illud erat consilium, expectare
me ad Hisaram, dum Brutus trañceret exercitum.

Brutus Cic. famil. XI. Si quo casu Hisaram se
traiecerint, ne quid detrimenti Reipub. iniungant,
summa à nobis dabitur opera.

Titus Liuius ab Vrbe Cond. I. Præ sese armens
tum agens, nando traiecerat.

Idem de Bell. Pun. Amnem uado traiecit.

TRAIECTIO,

uel Traiectus, us, ui.

TRAIECTIO, ut trañcere, non solum ad rem
nauiculariam pertinet, sed extra rem nauiculariam
nonnunquam est. Traiectus uero rei nauiculariæ
totus est.

AD REM NAVICVLARIAM PERTINENS.

Cicero ad Attic. VII. Cautior certè est mansio:
honestior existimatur traiectio.

Cæsar de Bell. Gall. lib. V. Quo ex portu com-
modissimum in Britanniam traiectum esse cognos-
uerat.

EXTRA REM NAVICVLARIAM.

Cicer. ad Herenn. Verborum traiectionem uita-
bimus, nisi quæ erit concinna.

Idem de Orat. III. Augendi, minuendiue causa
uerita

ueritatis superlatio, atque traiectione.

Idem in Orat. Vtitur ea traiectione uerborum, & nihilo tamen aptius explet, concluditq; sententias.

Idem de Diuinat. I. Affyrii traiectiones, motusq; stellarum obseruauerunt.

Idem de Diuinat. II. Nondum dico, quàm hæc signa nulla sint, fissum iecoris, corui cantus, uolatus aquilæ, stellæ traiectione, &c.

T R A N A R E.

TRANANDI significatio sua satis sponte explicatur. Est enim trans nare: sed transtulit aliquando Cicero. Id quod prius quàm ostendam, de nandi significato, à quo componitur tranare, exempla ad-

Nare.

feram. NARE. Nare piscium proprium est: nant tamen & uolucres, & bestię, & homines etiam industria. Cicero de Finib. V. Serpere anguiculos, nare anaticulas uidemus. Idem Tuscul. V. Natura bestias nantes aquarum incolas esse uoluit. Vergilius Aeneid. I. Apparent rari nantes in gurgite uasto.

Natare.

NATARE. Natandi significationem, quoniam nandi frequentatiuū est, ne hęc quidem prætermittendam existimaui. Sit igitur idē natare, quod nare. Cic. famil. VII. Tu in re militari multo es cautior, quàm in aduocationibus, qui neq; in Oceano natare uolueris, studiosissimus homo natandi neq; spectare essedarios. Idem pro Cæl. Quo omnis iuuentus natandi causa uenit. Idem de Inuen. II. Nau-

fragum

fragum quendam natantem, & manus ad se tendentem animaduenterunt. Idem de Nat. Deor. III. In quo quidem magis tu mihi natare uisus es, quàm ipse Neptunus.

TRANSLATE HOC VERBUM usus est Cic. Philipp. II. Personabant (inquit) omnia uocibus ebriorum: natabant pauimēta uino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritorijs, scorta inter matres familiās uersabant. NATRIX.

Natare translate positum.

Huius uocis significationē obiter annotamus, quòd à nando ducatur. Est autem serpentis genus. Cic. in Academic. Cur deus tantam uim natricum, & uiperarum fecerit? cur mortifera tam multa passim disperferit? Lucan. Et natrix uiolator aquæ. Sed de his satis. Ad tranandi exempla uenio. TRANARE.

Natrix.

Cic. de Somnio Scip. Non cuiusquam nostrū nomen aut Caucasum transcēdere, aut Gangem tranare potuit. Cæs. de Bell. Ciuil. lib. I. Flumen tranare non poterant. Idem de Bell. Gall. lib. I. Ibi per pauci aut uiribus confisi tranare contenderunt, aut lincibus inuentis salutem sibi petierunt. Idem de Bell. Alex. lib. IIII. Equites demissioribus ripis flumen tranarunt.

Tranare.

TRANSLATE POSITUM. Cic. de Nat. Deor. II. Atq; id facilius cernemus toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtilius explicato. ENARE. Enare pro tranare posuit Vergil. Aeneid. VI. Dædalus (ut fama est) fugiens Minoia regna Præpetibus pennis ausus se credere cælo Insuetum per iter gelidas enauit ad arctos.

Translate positum.

Enare.

TRANSNATARE.

Transnatate.

y natare

NATARE item posuit Liuius de Bello Punico:
Mago cum equitatu flumen transnatauit.

TRANSIRE.

NONNULLA ad hoc uerbum pertinētia primo Tomo ostendimus: ut, transire aliquid, pro reticere: transire pro uitare: Et hoc Tomo explicatū est, cum accipitur pro deficere, uel deditionem facere. Itaque ea patuerint suo loco. Hic autē ponitur transire, pro trajcere, uel transmittere, aut præteruehi. Quod tamen nō solum maris est, aut fluuiorum: sed etiam terræ, & tunc ponitur pro transgredi.

CVM TERRAE EST.

Cic. de Nat. Deor. I. Cum Gracchus pomerium transfiret, auspicari est oblitus.

Idem de Diuinat. Quod inauspicato pomerium transgressus esset.

Sallust. Cum duabus turmis Thracum, & paucis gregarijs militibus transiere ad hostes. Hic transire pro deficere accipi potest.

CVM MARIS EST, VEL FLUVII.

Cicero ad Attic. V. Non dubitat Deiotarus, quin cum omnibus copijs prima æstate Euphraten transiturus sit.

Idem ad Att. VIII. Nec uerò hæc extrema quisquam potest iure repræhendere, quod mare non transierim.

Idem in Piso. Cum exhauriebas ærarium: cum orbabas

orbabas Italiam iuuentute; cum mare uastissimum hyeme transibas, &c.

Idem in Orator. Horum studiorum causa mare transiui.

Cæsar de Bell. Gall. lib. I II. Huic mādāt, germanos, qui auxilio à Belgis accersiti dicebantur, si per uim nauibus flumen transire conentur, prohibeat.

Idem de Bell. Gall. lib. I I I I. Multis de causis Cæsar statuit sibi Rhenum esse transeundum.

Ibidem: Vsi petes, Germani, & item Tenchtheri magna cum multitudine hominū flumen Rhenum transierunt, non longè à mari, quò Rhenus influit.

Idem de Bell. Gall. lib. V. Quod flumen uno omnino loco pedibus, atq; hoc ægrè transiri potest.

Idem de Bell. Ciuil. lib. I. Huc iam rem duxerat, ut equites, etsi difficulter, atq; ægrè fiebat, possent tamen, atq; auderent flumē transire. Pedites uerò tantummodo humeris, ac summo pectore extarent, ut tum altitudine aquæ, tum etiam rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur.

TRANSLATE POSITVM.

Cicero ad Att. V. Lege Iulia transita. Id est, posthabita, uel spreta.

Idem ad Attic. V I I. Quid ergo exercitum retinet is, cum legis dies transierit?

Idem in Academic. Quædam animalis intelligentia per omnia permeat, & transit.

Idem in Tuscul. Nulla animans in alterius ani-

y 2 mantis

mantis uitam transire potest.

Idem Offic. 1. Hi sine dubio & finem, & modum transeunt.

Sallust. in Catil. Omnes homines, qui student se se præstare cæteris animãtibus, summa ope niti decet, ne uitam silentio transeant, ueluti pecora.

TRANSITVS, uel Transitio.

TRANSITVS aliquando, ut transire, terræ est: aliquando uerò maris, aut fluuiorum. Transitio item aliquando huius loci est: aliquando ab hoc loco abhorret.

TRANSITVS CVM

TERRAE EST.

Cic. Tuscu. v. Cùm fossam latam cubiculari lecto circundedisset, eiusq; fossæ transitum ponticulo ligneo coniunxisset, eum ipsum, cùm fores cubiculi clauserat, detorquebat.

CVM MARIS EST, VEL FLVVII.

Cæsar de Bell. Gallic. lib. v. Erat flumen difficili transitu, ripisq; præruptis.

Idem de Bello Alexand. lib. 1111. Rex cùm hoc itinere uenire Cæsarem comperisset, equitatum omnem, expeditosq; delectos pedites ad id flumē misit, qui transitu Cæsarem prohiberent.

TRANSI

TRANSITIONIS SIGNIFICATIO

HVC PERTINENS.

Cassius Cicer. famil. XII. Secuti sumus classem Dolabellæ, cui Lucillius præerat, qui spem sæpe trāsitionis præbendo, neq; unquam non decedēdo, no- uissimè Coricum se contulit.

AB HOC LOCO ALIENA.

Cicero in Bruto: Multa scripta sunt in eis oratio- nibus, quæ facta non sunt: falsi triumphi, plures Consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transi- tiones.

Idem ad Herenn. I. Trāsitionibus nullis utemur.

Idem de Nat. Deor. I. Imagines similitudine, & transitione perceptæ.

C V R S V S, A P

pellere, Applicare.

DE his tribus uocibus tam accuratè, tamq; fusè primo Tomo scripsimus, ut nihil prorsus repetens- dum sit, quod ad earum uel significationē, uel usum demonstrandum pertineat: nisi fortè quædā ex Cæ- sare exempla hîc colligi uelis, quæ transitium appel- lendi usum corroborarent: pauca enim primo Tomo sunt. Sequentia igitur addam.

Cæsar de Bello Gall. lib. III. Magno numero na- uium appulso, sua omnia deportabant.

Idem de Bell. Gall. lib. VII. Naues appelli iussit.

Idem de Bello Ciuil. lib. II. Magistris imperat na-

y 3 uium,

uium, ut primo uespere omnes scaphas ad litus appulsas habeant.

L I T V S.

LITVS est, quæ fluctus eludit: Vel est terra, quæ ab aqua tangitur, uel mari uicina est. Nec solum de mari, sed etiam de fluminibus dicitur: Ut apud Vergil. Littora, quæ dulces auras diffunditis agris. Sed de mari frequentius est.

Cic. Philipp. X. O' spectaculum illud non modo hominibus, sed undis ipsis, & litoribus luctuosum.

Idem in Orat. Quid tam commune, quam mare fluctuantibus, litus eiectis?

Idem de Inuen. I I. Subito magnis comotus tempestatibus fluuius Eurotas is, qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus, & uehemens factus, ut eò traduci uictimæ nullo modo possent. Redemptor suæ uoluntatis ostendendæ causa hostias constituit omnes in litore, ut qui trās flumē essent, uidere possent.

Cæsar de Bello Ciuili libro III. Omnia litora à Cæsare tenebantur.

Ibidem: Sibi nudanda litora, & relinquēdos portus non existimabant.

Ibid. Litora, ac portus custodia clausos tuebatur.

R I P A.

RIPA sic est extremitas terræ, quam aqua fluminum, torrentiū, riuorumq; alluit, ut extremitas terræ, quam

ræ, quã alluit mare, est litus: nisi quòd ripæ possunt
 esse arduæ: litora uerò nemo uocat scopulos, præru-
 ptamq̃, atque imminentem mari terræ altitudinem,
 quæ propriè rupes dicitur, siue mari impēdeat, siue
 plano. Lacuum autem, stagnorumq̃, ac magnarum
 paludum magis litus, quàm ripa dicitur, quia pro-
 pius ad imaginem maris accedunt, ut sint tantum ri-
 pæ aquarum currentium. Hæc scribit Valla in An-
 tonium Raudensem: quæ non omni ex parte uera
 sunt. Nam classici scriptores ripas etiam lacuum uo-
 cant, & aquarum non currentium, ut in exemplis se-
 quentibus perspicias.

Cicero pro Milone: Qui cum ab equite Romano
 splendidissimo, & forti uiro T. Pacuio non impe-
 trasset, ut infulam in lacu Præcio uenderet, repente
 in tribus in eam infulam materiem, calcem, cemēta,
 atque arma conuexit: domino trans ripam inspe-
 ctante non dubitauit ædificium extruere in alieno.
 Vocat Cicero hoc loco ripam lacus.

Idem Philipp, I I. Hanc rem in Cilicia ad ostium
 fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam,
 quam constituerat, non ad contrariam naues appli-
 cuisset.

Idem in Bruto: Cum plebs prope ripam Anienis
 confedisset.

Ibidem: Is dedit operam, ut nimis redundantes,
 & superfluentes iuuenili quadam dicendi impunita-
 te, & licētia reprimeret, & quasi extra ripas diffluen-
 tem coër

tem coërceret.

Idem de Legibus I. Nos in uiridi, opacacq; ripa inambulantes, quæramus iisdem de rebus aliquid uberius.

Cæsar de Bello Gallic. lib. I. Radices eius montis ex utraq; parte ripæ fluminis contingunt.

Idem de Bello Gall. lib. I I I I. Hi ad utranque ripam fluminis agros, ædificia, uicosq; habebant.

Idem de Bello Gallic. lib. V. Ripa erat acutis fudibus munita.

Idem de Bello Alexandrino : Demissioribus ripis flumen,

O R A.

O R A dicitur extremitas cuiuscunque rei. Speciatim tamen dicuntur oræ, fines terrarum. Atque cum Plinius oram dicit, ferè semper regionem litoralem appellat : apud quem uelut peculiaris est talis locutio : In ora sunt ciuitates : uel oppida oræ proxima.

A B H A C O R A E SIGNIFICATIONE manare loquendi genus uolunt scioli nonnulli : scilicet oram soluere. Quod loquendi genus ineptè interpretantur pro nauigare, & ab ora : id est, litorali regione discedere : negantq; oram inueniri apud classicos autores, pro fune nautico, quo nauis ad terram religatur. Tu uerò prætermisissis sciorum ineptiis oram pro fune nautico accipito : quam significationem huius nominis esse, luce clarius probabunt ex-

empla

Oram soluere.

empla sequentia. Titus Liuius Decadis tertiæ, lib. II. Vixdum omnes conscenderant, cum alij resoluunt oras, aut anchoram uellunt: alij, ut ne quid teneat, anchoralia præcidunt. Idem alibi: In ipsis quoque nauibus trepidatum, dum, ne hostes cum suis erumperent, trahunt scilas, orasq; & anchoras præcidunt. Quintil. Permittamus uela uentis, & oram soluentibus bene precemur. Sed de hoc satis. Tu oræ significationem ita distingue, ut generaliter sit pro regione, uel parte qualibet terrarum: uel speciatim pro litorali regione.

PRO PARTE TERRARVM: VEL
ALIA QUALIBET RE-
GIONE.

Cicero famil. XII. A prima ora Græciæ, usq; ad Aegyptum, optimorum ciuium imperijs muniti erimus, & copijs.

Idem pro lege Manil. Erat alia grauis, atq; uehemens opinio, quæ per animos gentium Barbararum peruaferat, fani locupletissimi, & religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse adductum.

Idem pro Corn. Balb. Qui tot habet triumphos, quot oræ sunt, partesq; terrarum.

Idem de Finib. I I. Hæc non erant eius, qui innumerabiles mundos, infinitasq; regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragrauisset.

Idem in Tusc. Terra duabus oris distantibus habitabilis.

bitabilis.

Idem de Natur. Deor. I. Cuius operam profectò non desideraretis, si immensam, & interminatam in omnes partes magnitudinem regionum uideretis: in quam se inijciens animus, & intēdens, ita latè, longèq; peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi uis deat, in qua possit insistere.

Ibidem: Ignibus altissima ora reddita est.

Idem de Natur. Deor. II. Qui ubique sunt, quacuncq; in ora, ac parte terrarum.

Idem de Diuin. II. Quid cùm in earum gentium oras fulmen emittit, in quibus hæc ne obseruantur quidem?

PRO LITORALI REGIONE.

Cicero ad Atticum VII. Vult me Pompeius esse, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & negocij summa referatur.

Idem de Natur. Deor. II. At uerò quanta maris est pulchritudo: quæ species uniuersis: quæ multitudo, & uarietas insularum: quæ amœnitates orarum, & litorum?

Cæsar de Bello Ciuil. lib. III. Ad hoc detrimentum accessit, ut equitibus per oram maritimam ab Antonio dispositis, aqua prohiberentur.

P O R T V S.

P O R T V S est locus conclusus, in quem importantur

tantur merces, & unde exportantur: uel ad quem applicant naues, & in quo persæpe hyemant.

Cicer. in Verr. Act. V I. Vna est ea, quam dixi, insula, quæ duobus portibus cincta, in utriusq; portus ostium, aditumq; proiecta est.

Idem in Verr. Act. V II. Quem posteaquam inane locum offenderunt, & Prætores commouisse ex eo loco castra senserunt, statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare cœperunt. Cùm in portum dico iudices (explanandum est enim diligentius eorum causa, qui locum ignorant) in urbem dico, atq; in urbis intimam partem uenisse piratas. Non enim portu illud oppidum clauditur, sed urbe portus ipse cingitur, & concluditur: nō ut alluantur à mari mœnia extrema, sed influat in urbis sinum portus.

Idem pro lege Manil. Portus Caietæ celeberrimus, & plenissimus nauium.

Cæsar de Bello Gall. lib. I I I I. Qui essent ad maiorum nauium multitudinem idonei portus.

Idem de Bello Ciuil. lib. I I I. Hæc insula obiecta Alexandriae portum efficit.

Ibidem: Non potest esse propter angustias nauibus introitus in portum.

Ibidem: Aditus habebat ad portum, & ad reliqua naualia.

Ibidem: Naues nostras in interiorē partem post oppidum reduxit, & ad terrā deligauit, faucibusq; portus nauem onerariam submersam obiecit, &c.

z : Ex portu.

Ex portu prodire, uel progredi.

Cæsar de Bello Ciuil. lib. 111. Neq; ij sibi confisi ex portu prodire sunt ausi.

Ibidem: Paulum à portu progressus, literas à Cæsare accipit, quibus est certior factus, portus, litoraq; omnia classibus aduersariorum teneri.

In portum cogere.

Cic. de Inuent. 11. Cum magna in alto tempestas esset, uis uentorum inuitis nautis Rhodiorum in portum nauim coëgit.

Ibidem: Vi, & necessario sumus in portum coacti.

In portum compellere.

Cæsar de Bello Ciuil. lib. 1. Magno numero Alibicorum, & pastorum interfecto partem nauium desprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt.

In portum conijcere.

Cic. de Inuent. 11. Cum rostratam nauim in portu depræhensam lex publicarit, cumq; hæc nauis inuitis nautis ui tempestatis in portum coniecta sit, oporteat ne eam publicari?

In portum inuehi.

Cicero pro Mur. Si portu soluentibus ij, qui iam in portum ex alto inuehuntur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum, quod natura affert, ut eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediatur, quo tandem animo me esse oportet
propè

propè iam ex magna iactatione terram uidentem, in hunc, cui uideo maximas Reipub. tempestates esse subeundas?

In portum deferri.

Cicero ad Herenn. I. Casu, & fortuitu nauis in portum incolumis delata est.

In portum se recipere.

Cæsar de Bell. Ciuil. lib. I I. Ex ijs unum ipsius nauigium contendit, & fugere perseuerauit, auxilióq; tempestatis ex conspectu abiit: duo perterrita concursu nostrarum nauium sese in portum receperunt.

In portum uenire, uel peruenire.

Cicero de Senect. Quò propius ad mortem accedo, quasi terram uideor uidere, aliquandoq; in portum ex longa nauigatione esse uenturus.

Cæsar de Bell. Gall. lib. I I I I. Huc accedebant octodecim onerariæ naues, quæ ex eo loco millibus passuum octo uento tenebantur, quò minus in eundem portum peruenire possent.

Portum capere.

Cæsar de Bell. Alex. lib. I I I I. Hæ naues Euro, qui multos dies continenter flabat, portum capere prohibebantur.

Portum tenere.

P O R T V M tenere duplici significato dicunt Latini. Vno pro in portum uenire, uel portum capere. Altero pro portum occupare. Vtrunq; significatum sequentibus exemplis constabit.

Portum tenere duplici significato à Latinis dicitur.

z 3 Cicero

Cicero famil. I. In nauigando tempeſtati obſequi
artis eſt, etiam ſi portum tenere non poſſis.

Cæſar de Bell. Gall. lib. I I I I. P. Sulpitium Ruſ
ſum legatum cum eo præſidio, quod ſatis eſſe arbi
trabatur, portum tenere iuſſit.

Idem de Bell. Ciuil. libro I I I. Paulum à portu
progreſſus, literas à Cæſare accipit, quibus eſt cer
tior factus, portus, litoraꝗ omnia claſſibus aduer
ſariorum teneri.

Portus pro profugio: idꝗ per translationem.

H A N C portus translationem, cum pro profu
gio accipitur, primo me Tomo oſtendiſſe, memo
ria quidem teneo: ſed eam hîc repetere non poenite
bit, & nouis exemplis probare: Sit igitur hîc portus
pro profugio: ducta translatione à nautis, qui ad
uerſa tempeſtate iactati, ſeſe in portum, ſi portum
nanciſci poſſunt, ut ad profugium, recipiunt.

Cicero ad Brut. Atꝗ hoc mihi iam in te placuiſſe
potes ex ſuperioribus meis literis recordari: quan
quam tum & fugæ portus erat in tuis caſtris, & ſub
ſidium ſalutis in tuo exercitu.

Idem in Verr. Act. V I I. Ita ne uero? quibus fuit
portus apud eum, contra quem arma tulerunt, iſs
apud te, cuius nullum in Repub. monumētum fuit,
mors, & cruciatus erat conſtitutus?

Idem pro Cecinn. Exilium non ſupplicium eſt,
ſed profugium, portusꝗ ſupplicij.

Idem de Orat. I. Equidem tantum abſum ab iſta
ſenten

sententia, ut non modò non arbitrer subsidium se-
nectutis in eorum, qui consultum ueniant, multitu-
dine esse ponendum, sed tanquam portum aliquem
expectem istam, quam tu times, solitudinem.

Idem Offic. 11. Regum, populorum, nationum
portus erat, & refugium Senatus.

Idem Tusc. 1. Profectò fuit quædam uis, quæ ges-
neri consuleret humano: nec id gigneret, aut aleret,
quod, cum exanclauisset omnes labores, tum incide-
ret in mortis malum sempiternum: portum potius
paratum nobis, & perfugium putemus.

Locutiones quædam prouerbiales ab
hoc nomine ductæ.

PROVERBIALES locutiones sunt ab hoc
nomine ductæ: scilicet in portu nauigare: in portu
esse: in portu impingere. **IN PORTU NAUIGARE** In portu nauigare.
GARE. Hoc prouerbio significamus nos iam
à periculo abesse. Propterea quòd qui medijs adhuc
huc in fluctibus nauigant, hi uentorum, & æstus
arbitrio nauigant. Contrà, qui iam intra por-
tum sunt, nihil habent negotij cum undis, ac uentis.
Vnde uulgatissima metaphora, hominem, in cuius
præsidio conquiescimus, portum appellamus. Et
qui sese ad trāquillam, tutamq; aliquam uitæ ratio-
nem traducunt, in portum se recipere dicuntur. Te-
rent. in Andr. Nunc huius periculo fit. Ego in por-
tu nauigo. Verg. paulò diuersius usus est in lib. VII.
Aeneid, Nunc mihi parta quies, omnisq; in limine
portus.

In portu esse. portus. **IN PORTV ESSE.** Non absimili significato dicitur res esse in portu, quæ in tuto est. *In portu impingere.* Plaut. in Mercat. In portu res est. **IN PORTV IMPINGERE.** In portu impingere per proverbum dicuntur, qui statim ad principium peccant. Ducta metaphora à nautis, qui uixdum anchoris solutis, & naue uento commissa in saxum incidunt, uel naufragium faciunt. Hac parcœmia utitur Quintil. in libris Institutionum Oratoriarum.

P O R T V O S V S.

P O R T V O S V S dicitur locus, ubi multi sunt portus: & nauigatio portuosa, quæ à multis portibus excipitur: uel in multos portus incidit.

Cicero famil. V I. Præter nauigationis longæ, & hyemalis, & minimè portuosæ periculum, quod uisitaris, ne illud quidem negligendum, &c.

Idem de Orator. I I I. Hæc autem, ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta diuortia: ut Philosophi tanquam in superum mare Ionium defluerent, Græcū quidem, & portuosum. Oratores autem in inferum hoc Tuscum, & Barbarum, scopulosum, atque infestum laberentur: in quo etiam ipse Vlysses errasset.

Sallust. in Iugurt. In diuisione regni, quæ pars Numidiæ Mauritaniam attingit, agris, uirisq; opulen

opulentior, Jugurthæ traditur: illam alteram specie, quàm usu, potiore, quæ portuosior, & ædificijs magis exornata erat, Adherbal possedit.

S I N V S.

SINVS, dicitur illa pars, quæ est intra pectoris, brachiorumque complexum. Cicero in Verrem Act. VII. Cedo mihi, quæso, ex ipsius sinu literas Syracusanorum, quas iste ad arbitrium suum confectas esse arbitratur. Idem pro Cæl. E sinu, gremioque patriæ abstrahi. Idem de Legib. Vt sinus, & gremium quasi matris mortuo tribueretur. EX

HAC sinus significatione multa ducuntur loquendi genera: ut, gaudere in sinu: de quo in primo Tomo scripsimus. PVLCHRAE VERO

admodum significationis est, cum pro intima quadam familiaritate, & amicitia accipitur: unde manant sequentia exempla. Cicero famil. XIII. Tu uero sis in sinu

Sinus pro familiaritate, uel amicitia.

semper, & complexu meo. Idem ad Q. frat. Cæsar,

Locus Cic. expositus.

mihi crede, in sinu est: neque discingor: id est, quod alio loquendi modo dicimus, Cæsarem in oculis ferro: uel, Cæsarem, quanta maxima fieri potest, amicitia compræhendo, atque complector: neque discingor: id est, non me immuto: uel eum ipsum amorē abijcere non cogito. Idem ad Atticum II. Itaque in sinu, atque in familiaritate adolescentis est, & cum eo, ut res indicat, sæpe est congressus. Idem in Verrem

A Act.

Act. III. Verres simul ac tetigit prouinciam, statim Messanam literas dedit: Dionem euocauit: calumniatores ex sinu suo apposuit: id est, ex suis intimis, & maximè familiaribus. Idem in Catil. Postremum autem genus est, non solum numero, uerum etiam genere ipso, atque uita, quod proprium est Catilinæ, de eius delectu, imò uerò de complexu eius, ac sinu. Idem Tuscul. V. Huius culpæ, & cæterorum uitiorum, peccatorumque nostrorum omnis à Philosophia petenda correctio est. Cuius in sinum, cum à primis temporibus ætatis nostra uoluntas, studiumque nos contulisset, his grauissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus. Brutus Cicer. Bibulum noli dimittere ex sinu tuo tantum iam uirum, ex quanto potest euadere, qui uestris paucorum respõdeat laudibus. Terent. in Adelph. Hic non amandus? hic cine non gestandus in sinu est? ALIA TRANS-

Sinus pro litore. LATIONE sinus uocantur litora curua ad similitudinem sinus, & quasi brachijs mare amplectentia. Cicero ad Atticum XVI. Duo sinus fuerunt, quos transmitti oportet. Idem in Verrem Act. VII. Ut illi, quos à poëtis accepimus, qui sinus quosdã obfedissemarimos, aut aliqua promontoria, aut prærupta saxa tenuisse dicuntur, ut, qui essent appulsi nauigijs, interficere possent: sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliae partibus imminebat. Ibidem: In ipso aditu, atque ore portus, ubi primũ
ex alto

ex alto sinus ad urbem à litore inflectitur, tabernacula carbaceis intentis uelis collocabat. Idem pro lege Manil. Denique maria omnia, tum in singulis oris omnes sinus, atque portus testes sunt. P R A E T E R H A N C significationem appellatur aliquando sinus intima pars urbis. Sallust. in Catil. Alij intra moenia, atque in sinu urbis sunt hostes. S V P R A H A E C omnia uarie à poëtis accipitur hoc nomen. Vergil. Sinus collecta fluentes. Sinus uestium appellat, quales erant tunicæ Romanorum, & laxitas illa supra cincturam. Idem Aeneid. IIII. Sic effata, sinum lachrymis impleuit obortis. Sinum ponit pro concavitate oculorum, ubi lachrymarum conceptacula sunt: nisi tamen uelis, sinum eo loco in propria significatione poni, ut sit: impleuit sinum lachrymis obortis: id est, sinum totum consperfit, & madidum reddidit lachrymis. Idem: Totos pande sinus. Sinus accipit Verg. pro uelis, quod uentis flantibus curuantur, & sinum faciunt. S I N U O S U S, Sinuosum dicitur, quod habet multos sinus: ut, mare sinuosum, uela sinuosa, quæ sinus, id est, curuationes faciunt. Claud. de Rap. Proserp. lib. I. Sinuosa draconum Membra tegens, id est: nodosa.

*Sinus uarie alie
significationes.*

Sinuosus.

A N C H O R A.

A N C H O R A est instrumentum ferreum, quo naues in litore fundamus, retinemusque. Quod no-

A : men

men explicare potuissemus, cum de nauis partibus scriberemus; huc tamen à me de industria seruatum est. Nihil enim magis quadrat, quam ut, cum in portum uenimus, anchora utamur. Hoc igitur loco perappositè tractabitur.

Cæsar de Bell. Gall. lib. IIII. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquæ naues eò conuenirent, ad horam nonam in anchoris expectauit.

Idem de Bell. Gall. lib. V. Equites ad Cæsarem uenerunt, qui nuntiarent superiori nocte maxima coorta tempestate, propè omnes naues afflictas, atq; in litus eiectas esse, quòd neq; anchoræ, funesq; subsisterent: neque nauæ, gubernatoresq; uim tempestatis pati possent.

Idem de Bell. Alex. lib. IIII. Loca sunt egregia omni illa regione ad tenendas anchoras.

Vergilius Aeneid. VI.

Obuertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabat naues.

Anchoram soluere, præcidere, tollere.

Cicero ad Attic. I. Accepi epistolam, quam (ut scribis) anchoris solutis de phaselo dedisti.

Idem in Verr. Act. VII. Malum erigi, uela fieri, anchoras præcidi imperat.

Cæsar de Bell. Gall. lib. IIII. His dimissis & uentum, & æstum uno tempore nactus secundum, dato signo, & sublatis anchoris circiter millia passuum

octo

octo ab eo loco progressus, aperto, ac plano litore
naues constituit.

A N C H O R A L I A.

A N C H O R A L I A dicuntur funes, quibus res
ligata est anchora.

Tit. Liu. Decadis tertiæ lib. 11. Vixdum omnes
conscenderant, cum alij resoluunt oras, aut ancho-
ram uellunt: alij, ut nequid teneat, anchoralia in-
cidunt.

E X P O N E R E.

Q V A E propria sit, uel translata huius uerbi si-
gnificatio, pluribus hîc ostenderem, nisi utraq; pri-
mo Tomo satis declarata esset. Pertinet autem
ad hunc locum tum maximè, cum acci-
pitur pro in portû dimittere. Sed
quoniã, ut diximus, satis hoc
primo Tomo patuit, à
superuacanea re-
petitione absti-
nebo.

F I N I S.

ERRATA.

Secundi meorum linguæ Latinæ Commentario-
rum Tomi editione occupatus, huius Libelli cor-
rectioni non incubui. Quare si quid minus
correctum legendo fortè offendes, post-
eà ad Secundum Tomum nos-
trum, qui proximè exhibit,
& unde hic Libellus
excerptus est, ac-
cedito.





Obse

Núm.

4 4 4

DOLEST

1537

ato. io de Mari

BLIOTECA

8730